



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXIX. De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

NOTÆ.

- (a) **A** *Oriens.* Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. De Auriensi Diœcesi Galliciæ nonnulla notavi in capit. cum causa, de probat.

COMMENTARIUM.

2. **I**n hoc textu agitur de intitulatione in Ecclesia Jurispatronatus, pro cujus expositione plura adduxerunt Covarr. & Lambert. congesti à Barbosa presenti. Et breviter sciendum est, nonnunquam Parochos, seu Rectores Ecclesiarum parochialium, sinere, immò & postulare ab Episcopo, ut alius clericus tanquam socius secum

ordinetur, & instituat in propria Ecclesia; quo casu, ne beneficium dividatur, constituitur certa portio clerico noviter ordinato ex fructibus ipsius beneficii solvenda, cap. cum non ignores 15. de prebend. cap. 37. de simon. docet Quintanaduenas lib. 3. Ecclesiasticum, num. 19. & jam notavi in cap. 2. de prebend. Dubitatur ergo ab Episcopo Auriensi, an quando ad petitionem Rectoris Ecclesiæ parochialis Patronum habentis aliquis intitulatus, id est ordinatus erat mortuo Rectore, haberet jus aliquod ad ipsam Ecclesiam? Et respondet Innocent. III. illum nullum jus habere, immò Patronum posse presentare, quem maluerit ad Ecclesiam parochialem vacantem, nisi Patronus consensisset ipsi institutioni; quia tunc defuncto Rectore tenetur illam ratam habere, nec potest eam infirmare.

CAPUT XXXI.

Gregorius IX. Archiep. (a) Eborac.

TRansmissæ ad nos tuæ litteræ continebant, quod cum Capitulum Eboracen. Ecclesiam de Gameforde vacantem, in qua jus obtinent patronatus, R. clerico concessissent, ipsi postmodum L. clericum tibi ad eandem Ecclesiam presentarunt, post appellationem ab eodem R. ad Sedem Ap. interjectam. Et infra: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum ex vi Jurispatronatus non concessio, sed representatio pertineat ad Patronum, presentatum (si aliquid non obstat Canonicum) instituere in ipsa Ecclesia poteris, utpote potiorum.

NOTÆ.

- (a) **E** *Eboracensi.* De Metropoli Eboracensi Angliæ egi in cap. 2. de rescriptis.

COMMENTARIUM.

2. **P**ræfens Gregorii Decisio ex supra traditis, & sæpius in hoc titulo inculcatis facile exponitur. Supponit enim Pontifex, Juspatronatus spectasse ad Capitulum Eboracense, & ita ecclesiasticum fuisse, & vacante Ecclesia de Gameforde Capitulum non presentasse, sed concessisse ipsam Ecclesiam R. qui cum ab Archiepiscopo non admitteretur, quia ab eo institutionem non acceperat, ad Sedem Apostolicam appellavit; interim Capitulum

agnoscens virtute Jurispatronatus non concessionem, seu collationem, sed tantum presentationem sibi competere, Lucium ab Archiepiscopo instituendum presentavit. In hoc casu consultus Gregorius decrevit secundum, Lucium videlicet, ut potiorum esse instituendum; nam licet Capitulum ut Patronus ecclesiasticus, si semel presentasset Rodericum, non posset postea variare, ex traditis supra in cap. quod autem; tamen cum ipsum non presentasset, sed absolute ipsi Ecclesiam concessisset, concessio ipsa nulla fuit, & sic non potuit impedire, quo minus Capitulum Lucium utiliter, & valide presentasset: & quia ipse in presentatione primus erat, jubet Gregorius Archiepisc. Ebor. ut ipsum tanquam potiorum instituat, rejecto R. ex traditis supra in cap. 4. hoc tit.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procuracionibus.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) apud Guarniac.

SANCITUM est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio distribuatur, & Presbyteri in eis constituti, non de decimis, nec de oblationibus fidelium; non de domibus, nec de atriis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, nec

de

de prædicto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum: & si quid amplius habuerint, inde (b) Senioribus suis debitum servitium impendant.

NOTÆ.

(a) **G**armac.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & apud Gratianum in capit. sancitum 25, 23. quæst. 8. Burchardus vero lib. 3. Decreti, cap. 52. Carnotensis p. 3. cap. 55. legunt, apud Wormatiam: etiam reperitur textus hic lib. 1. Capitul. Caroli. capit. 90. eisdem verbis, ac in præsent: quæ omnia licet sint diversa, non tamen sunt contraria, cum plerumque Concilia Wormatiensia dicantur Guarmatiensia, à civitate Wormatia, seu Guarmatia, quæ est in Gallia ad Rhenum, sæpius subversa, & sæpius à Galliarum Regibus instaurata, quæ à Brunichilde Regina venustate illustrata, sedes Regum Galliarum effecta fuit, & Cathedra ejus Archiepiscopalis translata in Moguntiam. In ea ergo urbe varia Concilia celebrata fuerunt: quatuor refert Coriolanus in summa; & cum ex Canonibus in eis editis plures transcripserit Carolus inter sua Capitularia, ut refert Antonius Augustinus in epist. juris Pont. in princip. titul. de collect. Canonum, cap. 22. qui etiam dialog. 18. in Gratianum, num. 12. docet Concilia, maxime in Gallia, & Germania celebrata fontes fuisse Capitularium; & inde præsent Canon, qui editus fuit in Concilio Guarmati. seu Wormat. reperitur inter Capitularia lib. 1. cap. 90. & Egbertus Archiepiscopus Eboracensis in suis excerptis ita Canonem hunc transcripsit: *Unicuique Ecclesie vel una mansa integra absque alio servitio attribuat, & Presbyteris in eis constitutis, non de decimis, nec de oblationibus fidelium, nec domibus, nec de arvis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripta mansa aliquod servitium faciant, præter ecclesiasticum; & si aliquod amplius habuerint, inde Senioribus suis secundum patriæ morem debitum servitium impendant.* Excerpta hæc stant, & reperuntur tom. 17. Conciliorum, fol. 493. in Regia editione, & in Concilio Meldensi Canone 63. ita Patres sanxerunt: *Ut secundum canonicam auctoritatem, & constitutionem Domini Imperatoris Ludovici de agro ecclesiastico, & manso, ac mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturae aliquid largitus Ecclesie fuerit, nec de decimis, & oblationibus fidelium cuiquam Presbytero aliquem censum persolvere cogat.* In quibus auctoritatibus eadem sententia proponitur, quam statim exponemus, & ferè per eadem verba in omnibus legitur, & statuitur.

(b) **Senioribus.**] Seniores dicuntur majores, nobilioresque Ecclesie, seu populi. De Senioribus Ecclesie agitur in actis purgationis Cæciliani, & Felicis post collationem Carthagi ibi: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Seniores plebis, Ecclesiasticos viros.* Et paulò post: *Maximus dixit: Loquor nomine Seniorum Christiani populi, & Catholice legis. Eorum meminere D. Augustinus lib. 3. contra Crescon. cap. 56. ibi: Peregrinus Presbyter, & Seniores Ecclesie Mutsicane regionis.* Et epist. 136. ibi: *Dilectissimis fratribus, clero, Senioribus, & universæ plebi Ecclesie Hipponensis.* Epistola synodalis Concilii Cabaritani apud eundem Augustinum in enarrat. in Psalmum 36. sic: *Necesse nos fuerat Primiani causam, quem plebs sancta Car-*

thaginensis Ecclesie Episcopum fuerat in ovile DEI sortita, Seniorum lueris ejusdem Ecclesie popularibus audire, atque discutere. Optatus lib. 1. Erant Ecclesie ex auro. & argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terre, nec secum portare poterat, quas fidelibus Senioribus commendavit. Et paulò post: *Convocantur supra memorati Seniores, qui sanctibus avaritie commendatam ebiberant prædam.* D. Ambrosius in epist. 1. ad Thimoth. cap. si Synagoga, & postea Ecclesia Seniores habuit, quorum sine Concilio nihil agebatur in Ecclesia. Tertull. in Apolog. Præsident probati quingentos Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Gregorius I. R. P. lib. 11. epist. 19. *Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te injuste possit offendere, non credas, sed præsentibus Ecclesie tue Senioribus diligenter est persequenda veritas.* Inde Seniores præ Episcopis, & Præpositis habentur in Concil. Tolet. 4. Can. 23. relato in cap. 1. 12. quæst. 1. cap. porro, 84. dist. Concil. Matiscon. 1. Can. 5. ibi: *A Senioribus coarceatur.* De Senioribus laicis agitur in Can. 91. Ecclesie Afric. ibi: *Magistratus, vel Seniores locorum.* Novella Leonis, & Majorani ad Basil. PP. titul. 1. Illustris sane, & præcellens magnificentia tua omnium Provinciarum Rectores suis auctoritatibus admodum, ut principales, vel Seniores urbium singularum, tam Curiarum, quam reliquorum corporum. Gregorius Tuon. de Theodoro Maffienli Episcopo loquens, ibi: *Ille epistolam, ut ajunt, manu majorum Childeberti Regis subscripam pronunti dicens: Nihil per me feci, nisi quæ mihi à Dominis nostris, & Senioribus imperata sunt.* Et in collat. Carthagi. cognit. 1. cap. 5. *Universis etiam civitatum Provinciarum Curatores, Magistratus, & omnes Ordinis viros, nec non & actores, vel Procuratores, vel Seniores singulorum locorum pari adventionem convenio, quatenus in civitatibus locis, in quibus confluxerunt, virisque parvis Episcopis convenire, vel suggestorum confessione, vel sub cuiuslibet scriptura documento extraxerint.* Et lib. 1. Capitul. c. 48. ibi: *Ut Episcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro Ecclesie suis Senioribus tribuant.* Et cap. 58. *Ut nullus Presbyter chartas scribat, nec condactor sui senioris existat.* Quibus opponuntur Juniores, populi, de quibus lib. 1. Capitul. Caroli. cap. 167. ibi: *Ut primo omnium Senioris semetipso de ebrietate caveant, & eorum Junioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant.* Et lib. 3. c. 61. de vulgari populo: *Et unusquisque suos Juniores distringat, ut melius obediant, ac melius consentiant mandatis Imperialibus.* In legibus Aleman. tit. 78. l. 5. *Si cognus, qui juniorem habet, occiditur.* Gregorius Tuon. lib. 5. cap. 26. ibi: *A Junioribus Ecclesie iussi bannos exigi pro eo, quod in exercitum non ambulassent.* Concil. Matiscon. 1. can. 8. Part. 2. can. 13. Narbonense sub Recharedo, cap. quicunque 33. quæst. 2. plura de Senioribus, Junioribusque confluxerunt Bignonius ad Marculfum lib. 1. c. 3. Justel. in notis ad can. 91. & 100. Cod. Can. Ecclesie Afric. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 2. regestr. 14. epist. 135. Georg. Ambian. ad Tertull. c. 39. obser. 2. Berrucius de verbis feudali. verbo Senior. Cujac. lib. 1. feudor. tit. 1. fol. 809. Lindenbrog. in Glossar. verbo Junior.

COMMEN-

COMMENTARIUM.

Difficilis valde est textus hic, tam in verborum serie, quam in sanctione: spectat ad jus antiquum Gallia, ex cuius Provincia legibus tantum explicari, & illustrari debet; & qui voluerit juxta jus commune aliarum gentium illum accipere, in miseris lapsus passim incidet. Prius ergo sciendum est, quid sit mansus integer, ex quo servitium aliquod praestandum non est, quod anxie quaerunt Cujac. lib. 1. feud. tit. 1. Boënius Epon. in cap. non minus, num. 61. de immuni. Eccles. Pennocus lib. 3. hist. Canonice. regul. cap. 2. num. 3. Filescus in cap. 4. §. 2. de offic. ordin. Gernonius ad hunc tit. & de indult. Cardin. §. Pro qua, num. 12. Bosquetus ad Innoc. lib. 1. epist. 21. Zerda in advers. cap. 77. & 185. num. 119. Sirmondus ad Capitul. Caroli, fol. 23. Lindembrog. in Glossar. verbo Mansus, Alteserra lib. 6. Dissert. cap. 11. Et mansus est certus agri modus, cum structura ad culturam, & mansionem necessaria, Henricus Imperator in diplomate apud Latium: *Unum regalem mansum cum omnibus suspertinentiis, & utriusque sexus mancipiis, & terris cultis, & incolis, arvis, pratis, piscinis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, silvis, venationibus, saginationibus, cum omni utilitate, quae aut describi, aut nominari potest, in proprium tradidimus.* Mansus integer, de quo hic, est iustus terrae mensuris completus, continet duodecim jugera terrae.

4. Dos igitur cuiusque Ecclesiae parochialis ad minus mansus erat, cap. 2. de Jure patron. in §. compil. Autoniis lib. 5. hist. cap. 10. ibi: *Volens etiam Imperator Carolus unamquamque Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per huiusmodi inopiam cultus negligenter divini, inservit praedicto edicto, ut super singulas Ecclesias mansus tribueretur, unum cum pensatione legitima, & servo, atque ancilla.* Concil. Colon. sub Carolo Crasso, Can. 4. *Ne ex dote Ecclesiae, id est, ex uno manso, & quatuor mancipiis census exigatur.* Merensle can. 2. *De uno manso, & de terris pro sepultura datis, & pro quatuor mancipiis, vel eorum procreatione nullus census deinceps exigatur.* Licet aliquando pro facultatibus, & pietate fundatoris Ecclesiae, duo, vel plures mansi assignarentur. Sanctus Stephanus Rex Hungariae lib. 2. Decret. tit. 34. *Dotem parochialis Ecclesiae sic constituit: Decem ville Ecclesiam adificient, quam duobus mansis, totidemque mancipiis dotent, equo, & jumento, sex bobus, & duobus vaccis, triginta quatuor minuis bestis.* Quod verò mansum canones appellant, Concilium Valentinum Galliae Coloniam vestitam appellat can. 9. ibi: *Saculares, & fideles laici, si condere basilicas voluerint in praediis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam Coloniam vestitam cum tribus mancipiis donationis gratia eis conferant, moxque Episcoporum iuri, & S. matris Ecclesiae eandem basilicam submittant.* Notarunt Lemaitre lib. 2. de bonis Eccles. cap. 11. Filescus in cap. 4. §. 2. de offic. ordin. Et certe tanta religione tenebantur veteres erga parochiarum sacerdotes, ut nefas esse crederent quicquam de integritate mansi praedii ecclesiastici deficere. Unde Archidiaconi Ecclesias iustrantes solebant, in primis sacerdotum commodis prospicere, & percunctari, num mansum integrum, & iustam terrae portionem obtinerent. Quod si quid deesset, tunc certe paro-

chiano ad supplendum iustae mensurae congruentis cumulum adgebant. Patet ex capitul. Hincmari Rhemens. tom. 3. Concil. Gall. in quibus Archidiaconi imperat, ut inquirant de manso Ecclesiae: *Si habeat mansum habentem buvinnaria duodecim, praeter camerarium & cortem, ubi Ecclesia, & domus ipsius continetur, aut si habeat mancipia quatuor.* Deinde sciendum est, varia olim fuisse mansorum genera: alii dicebantur tributales, alii indomincati, ingenuiles alii. Aimonius Monachus lib. 5. hist. cap. 35. ubi de tributo, quod Carolus Calvus Romam profecturus in universa Gallia pendit constituit, terram universam dividit in mansos ingenuiles, & indomincatos, his verbis: *Placitum generale Kalendis Junii habuit, ubi per capitula, qualiter Regnum Franciae filius suus Ludovicus cum fidelibus, & regni primoribus regebat, usque dum Romam rediret, ordinavit, & quomodo tributum de parte Regni Franciae, quam ante mortem Lotharii habuit, sed de Burgundia exigere tur, disposuit, scilicet ut de mansis indomincatis solidus de unoquoque manso ingenuo, quatuor denarii de censu dominico, & quatuor de facultate mansuarum; de manso vero servili duo denarii de censu dominico, & duo de facultate mansuarum conferendo.* Itaque de mansis tributabilibus cum agris tributariis non erit difficile eorum naturam assequi, & conjectari. Nempe mansi tributales sunt, quibus à Principe tributum erat impositum ad onera bellica, & sumptus Reipublicae procurandae. Tributorum autem originem referunt ad Carolum Magnum, qui fracta Longobardorum feritate, victis civitatibus tributum imposuit, quod maxime pendere cogerentur, cum iter per Provincias Imperator faceret: ita Sigonius de regno Italiae, lib. 4. Feudataris, inquit, civitatibus Ecclesiis, ac monasteriis certa tributorum genera imposuit, foderum, paraturam, & mansionaticum appellata, quae adveniendi potissimum in Italiam Regi persolverent. Quae deinde pro ipsius, & successorum eius benignitate, aut ex parte levata, aut in totum remissa sunt. Foderum manso, paratura, & mansionaticum erant certa tributa, ut exponit idem Carolus Sigonius lib. 7. de Regno Italiae, sub Orhone Magno: ubi agens de Longobardis, qui in tribus imponendis veteres Gallos imitari sunt, ait: *Tributa, quae ille Fridericus à Francis instituta retinuit, fuere foderum, paratura, & mansionaticum. Foderum summa quadam tributi fuit, quam adveniendi in Italia Regi populi solvere tenebantur, pro quo saepe etiam estimata pecunia pendebatur: paratura sumptus, quem iidem in vias, pontesque summum, qua transiunt, aut quo aditurus Rex erat, rescindendos impendere: mansionaticum vero sumptus in telia, &c. quae Regio exercitui in agro hospitanti necessaria praebere jubebatur.* De fodero agitur lib. 3. legum Longobard. tit. 8. apud Fridericum de pace Constant. Petrum de Vineis lib. 2. epist. 29. De mansionatico lib. 2. capit. 17. De paratura extat septima formula Marculfi, Mansus indomincatus nihil aliud erat, quam praedium aliquod insigne, ubi Nobilium domicilium erat: hodie dicimus, *Senior de tal. casa, o lugar*: de eo Aimonius lib. 5. cap. 35. agit; Mansus verò ingenuilis dicebatur ille, quem dominus praedii colendum tradebat hominibus ingenuae, seu liberae conditionis; quibus unus praerat mansarius, qui certum censum, seu pensionem, sive nummariam, sive frumentariam dominio praedii persolvebat: de quibus mansis plura

plura tradit Lemaistre de bonis Eccles. libr. 2. cap. 3.

6

His animadversis, jam apparet verus sensus præsentis Canonis: in eo jubent PP. Ecclesia Gallicana, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer, id est instructus, & vestitus absque ullo seruitio tribuatur, id est absque tributis, videlicet fodero, paratura, & mansionatico; quia mansus pro dote Ecclesiæ assignatus immunis erat à quocunque seruitio. Concil. Meldense *can. 63.* & in capitul. Herald. Turonen. *cap. 40.* & in Canonibus Ilaici Lingonensis in præfatione cautum fuit, ne cuiquam seruitio obnoxius sit mansus Ecclesiæ; & discreti us id statuerunt Carolus, & Ludovicus *lib. 5. capitul. cap. 45.* his verbis: *De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi seruitium exigunt, quicunque pro hac causa accusatus fuerit Comes, vel missus, hoc quod inde subtrahatum est, presbyteris cum lege restituere faciant.* Et sanctissime quidem ita propectum est, ne mansus, aut redditus Ecclesiarum parochialium ullo onere premerentur, néve ex earum dote ullum centum laici perciperent, qui temerè Ecclesiarum fundatores sapientius illum extorquebant. Concil. Troslejan. *can. 6.* Metense *can. 2.* Colonien. *can. 4.* Valentinum *can. 9.* bi: *Item, quia parochiales Presbyteri indigne à secularibus premuntur, nullaque reverentia sacerdotali gradui ab aliquibus servatur; & quia possessiuncula, vel dotes basilicis collata irreverenter auferuntur, placuit, ut ipsi presbyteri sub Episcopis, quibus adiutores sunt, maneat, & sub manu Ecclesia libere, & quiete officium ecclesiasticum exequantur: dotes verò à fidelibus designata basilicis ad hoc, quod statutum est, ab eis vindicentur, nullaque redhibitio census inde à quolibet seculari exigatur. Imò & Episcopis, & Archidiaconis prohibebatur ex his mansis ullum seruitium exigere, capitul. 5. lib. 2. ubi ita cavetur: *Ne verò Ecclesia illis commissa in restauratione, aut luminaribus, juxta possibilitatem rerum ab illis negligantur, vestra nihilominus invigilare debet solertia, & sicut alios prohiberis, ne de mansis ad Ecclesia luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri Archidiaconi, de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplum præbeat; sed potius ad id, ad quod data sunt, servire concedatur, ut totum, sicut dictum est, in restauratione Ecclesiarum, & luminaribus vestra auctoritate, & studio cedere possit. Ex manso igitur, id est propria dote Ecclesiæ non tenebatur Presbyter aliquod seruitium domino mansi, qui illum pro dote assignavit, impendere, nec de decimis, & oblationibus in ipsa Ecclesia perceptis; sed tantum spirituale, seu ecclesiasticum seruitium illi præstare debebat. Concil. Troslejan. *can. 6.* ibi: *Quia mitis, & humilis magistri discipuli sumus, Presbyteris nostris humilitatis exempla, ac monita dare debemus, videlicet in quorum ditione sua consistunt Ecclesia, con-***

gruum honorem, & obsequium impendant debent, id est spirituale, atque ecclesiasticum: hoc sine ullo typo, vel contentione, vel rebellion; salvo namque ministerii sui iure debent se gravosius exhibere senioribus. & parochianis suis, de eorum oblationibus vivunt, & cum debita humilitate spiritualia eis obsequia ministrare.

Hæc de mansis pro dote Ecclesiæ assignatis, & eorum immunitate ab omni seruitio temporali; Sed quia Ecclesiæ ultra dotem plerumque alium mansum habebant, seu alia prædia, quæ erant veluti dotis incrementum, nec ita in subsidium necessitatis Ecclesiæ deseriebant mansi illi, si antequam Ecclesiæ traderentur, tributum exsoluebant, similiter & postea illud pendebant, ut Imperatores Carolus, & Ludovicus sanxerunt *lib. 4. Cap. cap. 37.* ibi: *Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam, vel cuiuslibet alteri tradiderit, is qui eam suscepit, tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persolvat, nisi forte talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi donatum possit ostendere. Unde, ni fallor, apparet verus sensus præsentis Canonis; in eo enim nullo modo agunt PP. de aliquo seruitio Episcopis, seu aliis superioribus Ecclesiasticis præstanto, ut volebat Primarius noster Patreia in repetit. ad hunc textum: sed de tributo ex manso Ecclesiæ, vel aliis prædiis ab eis possessis solvendo seniori, id est pristino Domino mansi, vel Principi: & PP. sanxerunt, firmaruntque Imperatores Carolus, & Ludovicus, quod unaqueque Ecclesia suum mansum integrum, id est instructum, ut supra retuli, haberet, & Presbyteri in ipsis Ecclesiis constituti, nec de decimis fidelium, aut oblationibus, proventusve ex domibus, areis, vel hortis, neque ex ipso manso aliquod seruitium faciant temporale; sed tantum ecclesiasticum, hoc est spirituale, ut in dicto Canone 6. Concilii Troslejan. sicut Patronos, qui à libertis sacris Ordinibus initiati non potest operas temporales exigere, spirituales verò petere valet, *cap. eo libentius, de servis non ordin. si autem ipsæ Ecclesiæ alia prædia habent, ultra prædictum mansum, ex his tributum, quod pendere solebant Senioribus, id est Judicibus, aut Magistratibus, seu Dominis illius prædi, debitum seruitium impendant; quia tunc prædia illa transeunt cum suo onere, nec similia prædia habent privilegium dotis Ecclesiæ. PP. enim, & Imperator privilegium hoc exemptionis concesserunt manso Ecclesiæ, quia necessarius est ad alimoniam Rectoris, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, nec non ejus luminaria, & similia; non autem aliis prædiis, quæ pro dote Ecclesiæ assignata non erant, in quibus æqualis ratio favoris, & necessitatis non videbatur.**

CAPUT II.

(a) Augustinus super epistola ad Romanos,

Omnia (b) anima sublimioribus (c) potestatibus subdita sit. Et infra: Et vos subditi esse debetis. Ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis. NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) **A**ugustinus.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* Sed hæc verba non reperiuntur inter Opera D. Augustini; extant tamen priora illa: *Omnia anima sublimioribus potestatibus subdita est*, in epistola D. Pauli ad Romanos c. 13. Illa autem: *Et vos subditi esse debetis*, exprimit sententiam Glossæ ordinariæ, quæ ait: *Et ideo subditi*; & illa: *Ideo enim tributa præstata*, sunt D. Pauli; tandem illa: *Quia hæc est probatio subjectionis*, sunt Glossæ interlinearis; unde Compilatores textum hunc ex ipsa D. Pauli Epistola, & ejus Glossa transcripserunt.

2. (b) *Omnia anima.*] Id est omnis homo, ut passim in sacra pagina anima sumitur, ut Actuum Apost. capit. 7. *Accersit Joseph patrem suum Jacob, & omnem cognationem in animabus septuaginta quinque.* Exod. cap. 1. *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Jacob.* Ezechielis capit. 4. *Ecce anima mea non est polluta.* Jesaiæ capit. 49. *Ad contempnibilem animam.* Et passim.

3. (c) *Potestates.*] Id est Principibus, & Magistratibus, qui potestate regendi, & imperandi pollent. Ponitur enim Abstractum pro Concreto, videlicet potestatibus, id est potestate præditis, ut in cap. final. de iudiciis.

COMMENTARIUM.

4. **P**RO hujus textus expositione sciendum est, apud Hebræos Judam Galilæanum, seu Galilæum, cum suis sectatoribus in eo errore fuisse, videlicet solum Deum esse recognoscendum tanquam Principem, & Dominum; omnes verò Principes humanos, & per consequens omne Regnum Politicum esse respiciendum, ut refert Josephus *lib. 18. antiquit. cap. 1. & lib. 7. de bello Judaico, cap. 29. & 31.* & tradit D. Hieronymus in epistola Pauli ad Titum, cap. 2. Quare calumniosè interrogarunt Judæi Christum Dominum nostrum, an liceret tributum Cæsari solvere? Ut si responderet, tributum esse solvendum, juxta opinionem eorum infringeret legem libertatis per Moysen datam: Si autem solvendum non esse diceret, in Cæsarem peccaret. Et quia Christus Dominus, & ejus Apostoli origine erant Galilæi, & simul legem, quam prædicabant, appellabant legem peritæam libertatis, Joannis cap. 8. ibi: *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*; ideo Apostoli, & primi Christiani de hoc errore Gentibus suspecti fuerunt, ut constat ex Justino Martyr. *Apolog. 2.* Clemente Alex. *lib. 4. Strom.* qui refert inter alias causas, persecutiones Ecclesiæ hanc unam fuisse, quia videlicet per legem Evangelicam, quam audiebant esse libertatis, Regna, & Respublicas sæculares, everti Gentiles credebant; unde Apostoli ut hanc erroris causam tollerent, sæpe sæpius prædicarunt Principibus esse obediendum, illisque tributum solvendum, ne in odium traheretur Christiana religio, aut Christiani abuterentur libertate fidei ad obedientiam Principibus negandam. D. Petrus *Epist. 1. Canon. c. 2.* ibi: *Subditi estote omnes humane creature propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti.* Unde tot argumentis in præsentis epist. c. 13. ad Romanos intendit D. Paulus probare omnem hominem obedire

debere supremis Potestatibus, quibus ideo tributa præstant: quæ verba Apostoli sunt, & rectè exposuit Glossa ordinariæ; quia tributorum præstatio probationem inducit subjectionis. Facit D. August. in præsentis epistola, dum ait: *Ideo tributorum, & census persolvendi meminisse Apostolum, quoniam nascentis Ecclesiæ initio libertati Christianæ minus adherentes, quidam nulli hominum honorem deferebant, aut tributum pendebant, contra quod scriptum est ab eodem Apostolo ad Timoth. 1. cap. 6.* Et clariùs idem sanctus Doctor ostendit ad eandem Epistolam Pauli: *Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vestigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum debitum honorem eis potestatibus, qui hæc curant, in magno errore labitur.* Idem peccatum falsò primis Christianis insinuatim agnoscunt, & suis apologeticis impugnant Justinus Martyr *diat. Apol. 2. ad Antoninum*, Tertull. in *Apolog. adversus Gentes, cap. 31. & 35. & ad Scapulam cap. 2. & de idololatr. cap. 15. & adversus Gnost. c. 14.* Arnobius *lib. 4. adversus Gentes.* Ignatius *epist. 10. ad Smyrn.* & in *epist. 2. ad Antioch.* Irenæus *lib. 3. cap. 24.* Martialis Lemovic. *epist. 2. ad Tolosan.* & post eos sub Cæsaribus Chrysostomus *ad epist. 1. Pauli ad Roman. cap. 13.* Ambrosius *lib. 4. ad Lucam, cap. 5.* Hieronymus *epist. 4. August. epist. 5. & 54. & ad Psalm. 118. concione 31. & in propositionibus ad epist. ad Roman. propos. 13.* Optatus Milevit. 3. *adversus Parmenianum*, Symmachus Papa in *Apolog. ad Anastasium Imp.* Fulgentius Ruspensis Episcopus *lib. 1. de mysterio Mediatoris Christi ad Trasimundum Regem*, Ilidorus Pelusiota *lib. 2. epist. 216.* & sequiore sæculo, non sensu, Joannes Saresbur. *lib. 4. polycrat. cap. 1.* Nec est ratio, quare hæc verba D. Pauli referantur ad Clericos, ecclesiasticasque personas, cum tantum Apostolus agat generaliter de omnibus Christianis, qui licet per Evangelicam legem liberati sint à præceptis veteris legis, non tamen exempti sunt ab obedientia Principibus præstita; & ita non potest textus hic expendi contra immunitatem clericis, ecclesiasticisque personis à tributis competentem, ut vulgò expendi solet: notarunt post alios Suarez *lib. 4. advers. Reg. Angl. cap. 1. & lib. 4. cap. 2. num. 9.* Martha de *jurisdic. part. 1. cap. 25. & part. 2. c. 6.* Valenzuela *contra Venetos, p. 4. num. 140. & 184.* & ni fallor, hæc est vera & propria præsentis textus interpretatio. Generaliter verò Principibus esse obediendum, probatur *ex capit. 22. Exodi, vers. 28.* ibi: *Principi populi tui non maledicas*; ut agnoverunt Paulus *Actuum Apost. cap. 23. vers. 5.* Apostoli in *Can. 84. PP. Concil. Tolet. 5. Can. 5. & ex 1. Paralip. capit. 16. & Psalmo 104. vers. 15. Nolite tangere Christos meos, &c.* quo sæpe pro fide & obedientia Regibus debita uruntur PP. Concil. Tolet. 4. *Can. 75. Tolet. 16. Can. 9.* Probatum etiam ex D. Paulo 1. *ad Timoth. cap. 3. & ad Titum capit. 3. epist. 1. Petri, cap. 2. vers. 13. Can. 84. Apost. cap. Julianus 94. cap. qui resistit 97. cum seqq. 11. quest. 3. cap. que contra, 8. dist. cap. magnum 28. 11. quest. 1. cap. 2. de majorit. & obed. Concil. Paris. sub Ludovic. lib. 2. cap. 8. Meldense sub Sergio Can. 2. Turon. 2. sub Carolo, Can. 1. Mogunt. sub Rabano Can. 5. Tolet. 4. Can. 75. Tolet. 6. Can. 17. Tolet. 7. Can. 1. & aliis congestis ab Antonio Augustino in *epist. 3. p. lib. 35. tit. 2.* Probatum fusè Bellarminus *tom. 2. lib. 3. cap. 3. Solorzanus de**

CAPUT III.

Gregorius Stephano (a) Chartulario,

SCientes magnitudinem charitatis vestræ toto Dominum corde diligere, ob hoc ea, quæ in (b) massis de jure quondam Patricii viri piæ recordationis contra præcepta Dominica, contraque Canonum regulam commissæ esse didicimus, ad ejus necesse duximus referre notitiam: quatenus hæc, quæ perpetrata sunt, corrigi debeant, & alii deinceps tentare non præsumant. Insinuatum igitur nobis est, in massa, quæ nuncupatur Marato, de Abbate monasterii sancti (c) Georgii, quod in eadem situm est, duos Monachos refugisse, & unum quidem ex eis jam conjugem accepisse, alium autem laicum effectum sæculariter vivere; cum nec ex familia massæ homines ipsi esse liberi asserantur: & vel si secundum conditionem debuissent agere, contra DEUM erat, ut post adeptum divini officii cultum, & sæculem vitam, atque habitum remearent. Unde hortor, ut habita judicis æterni consideratione, Monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum vestro, quod absit, peccato, cæterorum monasteriorum districtio dissipetur: sed magis ut magnitudinis vestræ solatio aliis Monachis spes gerendi talia submoveatur. Asserit autem prædictus Abbas, Presbyterum prædictæ massæ novas monasterio ipsi velle imponere consuetudines, quæ ex tempore conditi monasterii per triennale tempus hæctenus non fuerunt: siquidem si quid DEO illic munificentæ gratiâ à fidelibus viris (d) oblatum fuerit, portionem se asserit debere percipere. Quod magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere: & si hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat; quia maximè exiguæ substantiæ, & monasterium pauperum esse didicimus, & Abbatem ipsum hospitem omnino esse, multorum attestazione didicimus.

NOTÆ.

- (a) **Chartulario.**] Valde corrupta est præfens inscriptio, tam in prima, quam in sexta compil. In prima legitur *ad Stephanum Castronem*; In secunda verò *Stephano Cantori*: sed eam, & litteram textus restituo ex epistolis D. Gregorii *lib. 12. indict. 7. epist. 20.* Chartularius in utroque jure diversimodè accipitur: in jure Civili numerarius, actuarius, & seriniaris adjungitur *in titul. Cod. de numer. actuar. chartul.* à charta, vel chartula ita dicti, qui omnes rationes publicas tractabant; ideoque eorum officium in observatione rationum consistebat, *l. 11. Cod. de divers. offic. l. 25. Cod. de sacros. Eccles.* De his Cujacius *in l. 10. Cod. de numer. Gutherus lib. 2. de offic. dom. cap. 14. Pancirola lib. 1. var. cap. 27. & lib. 2. cap. 188. Jurretus ad Symmachum lib. 9. epist. 23. Buleng. lib. 4. de Imper. Rom. cap. 10. Zerda in advers. cap. 17. num. 5. Amaya in l. 3. Cod. de can. largit. notavi in cap. 8. de præsumpt.* Etiam officium Chartularii refertur à Leone, & Anthemio *in dict. leg. 3. C. de canone*, his verbis: *Chartularios, qui de cohortalibus officiis uniuscujusque Provincia largitionales titulos tractare constituuntur.* Et magni Chartularii mentio fit apud Curopalatem, & Chartularii Magistrorum equitum, & peditum *in l. 6. Cod. Theod. de divers. offic.* notarunt Grethserus

ad Codinum lib. 1. cap. 4. Balsamon in nomocan. tit. 8. cap. 1. Lindembrog. in notis ad Panum Vansfridum, lib. 2. de gestis Longob. cap. 1. In ecclesiastica Politia Chartularii nomen longè minoris fuisse dignitatis, probat D. Rochus Pirro *tom. 1. Sicil. sacr. not. 3. num. 11.* Illud constat ex præfenti epistola, & aliis ipsius Gregorii, apud Latinos Chartularium de causis ecclesiasticis cognovisse, ut jam notavit Baronius *anno 591.*

(b) **Massis.**] Masse nomen, & appellatio, ut apud Gallos, & Germanos recepta fuit, ita Massæ vocabulum apud Latinos usitatum. Est autem conglobatio quædam, seu collectio possessionum, ac prædiorum: cujus nominis meminit Cassiodorus *lib. 8. epist. 33.* ubi Rex Athalaricus jubet conductores, ac Possessores mansarum prospicere, ne rustici in mercatores, aliosque peregrinos infiliant, qui ad natale S. Cypriani celebrandum Lucaniam constuebant. Et Ecclesiam Romanam varias massas habuisse, jam probavimus *in cap. 2. de pactis.*

(c) **Georgii.**] Monasterium hoc S. Georgii de Tiracola, seu Troculus, est in Sicilia à Rogerio Comite amplè ditatum, cujus fundationem & privilegia refert D. Rochus Pirro *tom. 3. Sicil. sacr. fol. 61.*

(d) **Oblatum fuerit.**] Juxta adducta *in c. 1. de statu Monach. & Commentarium hujus textus dabimus infra in cap. prohibemus.*

CAPUT IV.

Idem (a) Constantino Episcopo.

Licet multum. *Et infra:* Dixit quoque prædictus cæcus, quod ad collectas inter alios pariter compellatur: quod fieri non permittas, quia eum, quem cæcitas sua gravat, inhumanum est nimis in collectione affligere: cui debuerat ex collectis, si esset necessitas, misereri.

NOTÆ.

1. (a) **C**onstantino.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub tit. de rescrip. spol. cap. 7.* & inscriptionem exposui, ac historiam hujus textus retuli in *cap. 2. de rescrip. spol.* ubi etiam notavi, quare Pontifex in præsentem de causa collectarum temporali pronunciaffer.

COMMENTARIUM.

2. **L**icet verum sit, cæcos, pauperes, miserabilesque personas à muneribus omnibus personalibus immunes esse, *l. 2. §. corporis, Digest. de vacation. muner. l. unicum, Cod. de eodem titul. lib. 10. l. unic. C. de superindict. l. forma, §. illam, Digest. de censibus, l. cura, §. deficientium, & §. inops. ff. de muner. & honor. c. judicatum, 89. dist. l. 1. qui morb. lib. 10. probant Solorzanus tom. 2. de jure Ind. lib. 1. c. 19. num. 28. Michelotius in tract.*

de cæco, cap. 23. tamen à realibus, quæ ratione prædii debentur, non sunt exempti, quia terra ipsa tributum, seu pensum pendet, argumento capituli *convenior 23. q. 8. cap. si quis laicus 16. quest. 1.* unde præsentem textum de collectis personalibus, non verò de realibus accipit Michelotius *ubi supra.* Sed verius credo, pietatis causâ tributum etiam reale cæco, similive miserabili personæ remitti debere, Gregorium in præsentem rescribere; non quia stricto juris rigore à tributo reali cæcus exemptus sit, ut jam notavit Parladorius *lib. 1. rer. quotid. c. 3. num. 28.* unde nimis impudenter Antiboldus in *tract. de muner. §. 2. num. 28.* ausus fuit inscitie arguere nostrum Gregorium in præsentem, quasi ignorasset alias esse collectas reales, alias personales: nec etiam bene Prosdicimus *de different. leg. & can. num. 144.* differentiam constituit inter jus Civile, & Canonicum, quasi jure Civili attentio cæcus in muneris non sit à collectis realibus; secus verò in iusto jure Canonico.

CAPUT V.

(a) Paschalis II. Comitissa (b) Mathilda.

Pervenit ad nos, quod c) Fraxinorensis Abbas Carpensem Ecclesiam fuerit deprædatus, occasione videlicet cujusdam census, qui ad quid solvi debeat, ignoratur: de quo nimirum, cum nos Archipresbyter interrogaret, quod rationale videbatur, respondimus: Censuum enim ignorantia, nec divinis, nec humanis legibus invenitur. Oportet quippe, ut census omnes ad quid, & quomodo persolvi debeant, præsciatur. Mandamus ergo dilectioni tuæ, ut prædam ipsam Carpensis Ecclesiæ restitui facias, nec deinceps Fraxinorensis Abbatem, aut quemlibet alium eam inquietare permittas.

NOTÆ.

1. (a) **P**aschalis.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Paschalis II. antea Renatus, vel Raynecius dictus, natione Turingus, patriâ Bledanus, Monachus Benedictinus, electus Pontifex anno Domini 1099. scripsit varias epistolas, quas refert Baronius *anno 12.* Vinius *tom. 7. Concilior.* cum decem Conciliis ab eo celebratis: plura de eo referunt Baronius *d. anno 1099.* Ludovicus à sancto Carolo in *Biblioth. verbo Paschalis II.*

2. (b) **M**athildi Comitissa.] Hæc Mathildis primò nupsit Godofredo, propter difformitatem Gibbero dicto; & eodem functo Welfoni Duci, non tam pro incontinentia, quam pro Romani Pontificis obedientia, ut tantò virilius sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra schismaticos posset subvenire. Unde Baronius *an. 1089.* refert hoc conjugio Henrici, *D. Gonzal. in decretal. Tom. III. Pars II.*

ricum III, Imperatorem valde contristatum fuisse, eundemque Ducem terrorem fuisse schismaticis.

(c) **F**raxinorensis.] Fraxinorense hoc monasterium, Gallicè *Ferne* dictum, est Ordinis D. Benedicti, Prioratus in Gallo-Brabantia, cujus initia Eremburgi piæ matronæ debentur anno 1099. Ejus Abbatiæ regendam suscepit Fulgentius, de quo in præsentem, ut refert Aubertus Miræus in *canob. Belgia, cap. 43.*

COMMENTARIUM.

Anceptio quæstio est, tam apud Scholasticos, quam Forenses Doctores, utrum census, etsi non constet de ejus emptione, seu causa debendi, tantum virtute lapsus temporis, & repetitæ solutionis debeat in futurum? Et pro negativa sententia facit præsentem textum, ubi expressè docet Paschalis, non posse monasterium Fraxinorense perire censum.

Yyy 2 sum

tum ab Ecclesia Carpenſi, niſi cauſa ipſius cenſus liquido appareat; quia cenſus ignorantia diuinis & humanis legibus reprobat; deinde quia tempus non eſt modus inducendi obligationem, l. obligationem 44. §. 1. verſ. Placet, ff. de O. & A. l. ſi interrogatio 1. l. aduerſus 3. l. creditor 7. C. de uſuris, l. operis 31. ff. de oper. libert. igitur ſi non conſtat de cauſa, ſeu emptione cenſus, tempus per ſe non eſt ſufficiens ad inducendam eius obligationem, ſicut ſola cautio ſine expreſſione cauſa non ſufficit ad producendam obligationem, cap. ſi cautio, de fide inſtrum. Quibus, & aliis fundamentis moti, negatiuam hanc ſententiam tenuerunt Salazar de uſu & conſuet. c. 9. à num. 11. Faber lib. 7. conſect. cap. 8. Schifordeg. lib. 1. tract. 15. per tot. Corraſius lib. 3. miſcell. cap. 15. Alciatus in leg. ſi certis annis, num. 10. C. de pactis. Contrarium tamen, ex continuata nempe præſtatione cenſus manere obligatum in futurum eum, qui longo tempore cenſum perſoluit, probatur expreſſe ex l. cum de in rem verſo, ff. de uſur. l. 1. Cod. de fideicommiſ. l. litibus 20. Cod. de agricolis, lib. 11. l. 3. C. de apochis, eodem lib. l. 1. §. 1. ff. de itinere, actiue privato, cap. querelam, de elect. Quorum iurium argumento affirmatiuam ſententiam in ſolutione annuorum reddituum & Decimarum tenuerunt Menchaca uſufreq. cap. 43. num. 30. Gaſpar Rodrigez lib. 1. de annuis reddit. cap. 15. num. 5. Lara de anniverſ. lib. 1. cap. 12. Avendanno de cenſib. cap. 15. Gilkenius in dict. leg. ſi certis, num. 1. Caſtillo de tertius, cap. 3. num. 27. Flores de Mena lib. 1. queſt. 2. & lib. 2. queſt. 23. Giphanius in d. l. 1. Cod. de fideicommiſ. Parexa de inſtrum. edit. tit. 7. reſol. 10. num. 20. Gibalinus de uſuris, lib. 4. cap. 6. artic. 5. Tapia tom. 1. Catena, lib. 4. cap. 11. artic. 2. Porro quarum opinionum conciliatione, & præſentis textus expoſitione ſequentes caſus diſtinguendi ſunt; Primus eſt, quando quis cenſum petit, & idoneè probat illum ſibi jam antea ſolutum fuiſſe ex cenſus impoſitione, quod inſtrumentis, aliisque legitimis probationibus oſtendit: quo caſu ſolutio continuata non tam inducit obligationem ſolvendi cenſus in futurum, quàm illam probat; & actor non tantum habet intentionem fundatam, ſed etiam probationem probatam. Secundus caſus contingit, cum quis exigit cenſum, allegatque ſolutiones per longum tempus continuatas, veluti per decem, aut viginti annos, & ſimul titulum ac cauſam affert; quo caſu, quamvis illa non probet inſtrumento aliquo, talis continuatio ſolutionum per decennium cum allegatione veri tituli inducit neceſſitatem ſolvendi in poſterum, niſi

errore, aut invaliditate tituli ac cauſa probatum fuerit; quem caſum latè examinant Rodriguez dict. lib. 1. queſt. 15. Cenſius queſt. 8. num. 8. Duardus de cenſibus, queſt. 17. num. 30. Gibalinus dict. artic. 5. Tertius caſus evenit, cum ille, qui petit cenſum, affert tantum continuatas ſolutiones 10. vel 20. annorum, non autem titulum, vel cauſam ſolutionis allegat; tunc enim ex iteratis ſolutionibus nullum jus exigendi cenſum acquiritur. Menchaca illuſtr. queſt. 84. Cenſius ſuprà, num. 16. Duardus num. 14. Rodriguez num. 2. Si autem tempus longiſſimum ſit, vel immemoriale, tunc præſumitur titulus, atque ideo inducitur obligatio ſolvendi cenſum. Cenſius ſuprà, num. 26. Menchaca illuſtr. c. 84. num. 48. & in his caſibus diutine ſolutionis, ſi negetur cenſus, & ita quodammodo deſiciatur creditor à quaſi poſſeſſione illum exigendi, competere remedium recuperandæ poſſeſſionis, argumento ex lege Aquilius, Digest. de donat. docuerunt Menochius remedi. 1. recuper. ex num. 31. Tuſchus littera P. conſul. 447. & littera S. conſul. 388. Maſcard. de probat. conſul. 1388. Petrus Barboſa in leg. ſi de vi, ex num. 133. Digest. de iudic. quorum ſententia in praxi ſuſtinenda eſt, quamvis in puncto iuris falſa ſit. Nec tunc obſtant fundamenta negatiuæ ſententiæ. Non primum ex præſentis textu, quia Paſchalis in eo accipiendus eſt, cum non conſtat de titulo, ſeu cauſa ipſius cenſus, nec legitimum tempus elapſum eſt, ex cuius tranſiſſu, ſequitur repetitis præſtationibus cauſa præſumi poſſit. Nec obſtat, quod dicebamus, tempus non eſſe modum inducendæ obligationis; quod verum cenſeo, quando in ſolo temporis curſu creditor fundaret obligationem, non verò quando eam fundaret in conſenſu tot annis præſtito; nam etſi ex eo non naſcatur obligatio, naſcitur tamen præſumptio certiffima obligationis, que ſufficiat, ut debitorem ad præſtationem compellamus, cum non probet contrarium, ut in præſenti; in qua probatione, ſi deſiciat debitor, vincit præſumptio; ut egregie docet nulli poſſeponendus Cujacius libr. 29. qq. Papin. in dict. leg. cum de in rem, & Gilkenius dict. cap. 4. num. 43. & ſeq. Lara dict. lib. 1. cap. 12. numer. 1. quos immeritò taxat Schifordeg. dict. tract. ann. 15. queſtione 5. abſurdum exiſtimans; ex præſumptionibus hanc rem eſſe definiendam; cum tamen negare non poſſit in ſecunda parte dicte legis cum de in rem, præſumptionem interveniſſe de dote, quia uſuræ fuerunt ſolutæ, ut rectè notavit Lara dict. num. 5. & Flores dict. lib. 1. queſt. 2. num. 14.

CAPUT VI.

Ex Concilio (a) Lateran.

Cum (b) Apoſtolus ſe, ac ſuos propriis manibus decreverit exhibendos, ut locum prædicandi auferret pseudo-Apoſtoliſ, & illis, quibus prædicabat, non exiſteret onerosus: grave nimis, & emendatione dignum eſſe dignoſcitur, quod quidam fratrum, & Coëpiſcoporum noſtrorum ita graves in procurationibus ſuis ſubditis exiſtant, ut pro huiusmodi cauſa ipſa interdum eccleſiaſtica ornamenta ſubditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora conſumat. Quocirca ſtatuimus, quod (c) Archiepiſcopi parochias viſitantes, pro diverſitate Provinciarum, & facultatibus Eccleſiarum XL. vel L. (d) evectionis numerum; Epifcopi autem XX. vel XXX. Cardina-

(e) Cardinales autem XXV. nunquam excedant: Archidiaconi verò V. aut VII. Decani constituti sub ipsi duobus equis contenti existant, nec cum canibus (f) venatoriis proficiantur, & avibus; sed ita procedant, ut non, quæ sua sunt, quarant, sed quæ JESU CHRISTI querere videantur: nec sumptuosas epulas quarant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè ac competenter illis fuerit ministratum. Prohibemus etiam, ne subditos suos taleis, exactionibusve Episcopi gravare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquotiens superveniunt, ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Cùm enim dicat Apostolus: Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis, multùm longè à paterna pietate videtur, si præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastores debent more fovere. Archidiaconi verò, sive Decani, nullas exactiones, vel taleas in Presbyteros, seu Clericos exercere præsumant. Sanè quod de prædicto numero evectionis secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus ampliores sunt redditus, & ecclesiasticæ facultates. In pauperioribus autem locis tantùm volumus teneri mensuram, ut ex accessu majorum minores meritò non doleant se gravari, nec sub tali indulgentia illi, qui paucioribus equis hæcenus uti solebant, plurius sibi credant potestatem indulgam.

NOTÆ.

1. (a) *L. Ateran.* Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & reperitur textus hic in Concilio Generali Lateran. celebrato sub Innocentio III. cap. 4. & ut deductus ex eodem Concilio, citatur in cap. 3. de excessibus Prælat. in 2. collect. de eo Concilio notavi in cap. nonnulli, de rescript.

2. (b) *Apostolus se, ac suos.* Hæc verba ex variis locis desumpta videntur, videlicet ex c. 20. *Actuum Apost. ex epistola I. D. Pauli ad Thesal. cap. 2. & epist. 2. cap. 3. & 2. ad Corinth. cap. 11.*

(c) *Archiepiscopi.* Quatenus Archiepiscopi possint visitare Provinciam propriam, dicemus infra, in cap. sequente.

3. (d) *Evectionis.* Eleganter, nam evectio certum numerum eorum, seu veredorum continet. Symmachus lib. 1. epist. 16. *Accepi evectiones quatuor in manu, quantum commodas in excursus & recessus meorum.* Cassiodorus lib. 6. form. 6. evectiones simili potestate largitur. D. Paulinus lib. 4. de vita S. Martini.

Dicite, quid vestri velox evectio Regis Efficiat tardante Deo?

Quarum evectionum obvia mentio extat in l. 2. de in jus vocand. l. continuus 137. §. cum ita, ff. de V. O. l. eos 27. §. final. ff. ad leg. Corn. de falsis, l. ult. §. penult. ff. de muner. & honor. l. 1. C. de com meat. lib. 11. l. 12. C. de curios. lib. 12. in tit. C. Theodos. de cursu publico. & de eis agunt Gutherus lib. 3. de offic. domus, cap. 15. Corraus lib. 5. miscell. c. 12. Panciroli lib. 3. var. cap. 31. Revardus lib. 2. var. cap. 15. Solorzanus tom. 2. de jure Ind. lib. 1. cap. 12. num. 22. Buleng. lib. 2. de Imp. Rom. cap. 29. inde etiam evectiones dicuntur literarum, & diplomata, quibus adlecti, vel Legati ad cursum publicum utuntur, illisque viatica præbentur. D. Hiennonym. in Hilariōe: *Secretis ab Imp. evectionem petiit, causam ei indicans; & acceptis ad Consulari em Palestinæ litteris, cum ingenti honore, & comitatu gazam deductus est.* Sulp. Sever. lib. 2. hist. *Qua tempestate Hilarius quartum jam exile annum agens inter reliquos Episcopos per vicarium, ac Præsidem datâ evectionis copiâ adesse compellitur.* Notavit Savarus ad Sidon. lib. 5. epist. 20. verbo *Evectionem.*

4. (e) *Cardinales XXV.* [Sed quomodo, cùm Card. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II,

dinalium major dignitas sit, & illi præ excellentiores omnibus Ecclesiæ Prælati reperiantur, minor numerus evectionum illis permittitur, quàm Episcopis & Archiepiscopis. Agnovit difficultatem Lotharius lib. 1. de re benef. cap. 8. & docuit, evectiones in præfenti non aestimari, seu taxari juxta qualitatem, seu dignitatem visitantis, sed juxta latitudinem territorii, respectu locorum & personarum, quibus est impositum onus procurationis; atque ita Patres in præfenti non prohibere, quin Episcopus habeat in comitatu, quot velit personas, & equos, juxta statum, & dignitatem suam; sed tantum ut curent, ne graventur illi, qui obligantur ad procurationem majoribus evectionibus. Verùm hæc docti viri sententia sustineri non potest; nam si non attentâ qualitate personæ, sed loci distantia evectiones erant aestimandæ, ad quid Archiepiscopis, & Cardinalibus, Decanis, & Archidiaconis evectiones habitâ gradus prærogativâ taxandæ erant, cùm Cardinalis non Episcopus tantum suam parochiam, sicut Archidiaconus suum Archidiaconatum, & Decanus suum Decanatum visitent? Accedit, nam longinquitas itineris non petit majorem numerum evectionum. Quare hæc sententiâ omisâ verius dicendum est, Cardinalium dignitatem temporibus Alexandri III. hujus textus auctoris non ita præ excellentiorem fuisse, ut Episcopalem superaret, usque dum constitutum fuit, ut ex ipso collegio Cardinalium Pontifex eligeretur in præfenti Concilio Lateran. Quare olim nullus erat Episcopus, qui vellent fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant descendere de majore ad minorem dignitatem, ut referunt, & probant Borellus in summa decis. 1. p. tit. 6. num. 6. Saravia de jurisdic. adjuncta quest. 1. num. 9. Bobadilla lib. 2. Polit. cap. 17. num. 15. Solorzani. de jure Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 7. num. 3. Unde cœpit augeri paulatim Cardinalium dignitas; & jam galero rubro illis concessio major profectò dignitas declarata fuit, ut probant Gomezius in proem. regul. Cancell. tit. Episcopi dignitas diminuta, Cohelus in notitiâ Cardin. cap. 8. ubi variis Bullis probat, Cardinales subscribere post Episcopos, & ita cùm tempore hujus textus dignitas Cardinalitia non superaret Episcopalem, iteo habitâ dignitatis ratione, minor evectionum numerus conceditur Cardinalibus, quàm Episcopis.

Yyy 3 (f) *Canibus*

(f) *Canibus venatoris.* Quos habere tam Episcopis, quam Clericis prohibitum est in cap. 1. & 2. de cleric. venat. ubi probabimus.

COMMENTARIUM.

5. **L**ustrari, & visitari Dioceses à propriis Prælati, & superioribus, antiquissima consuetudo, & penè Ecclesiæ coætanea est, more accepto ab Hebraeis, & Gentilibus; in veteri enim lege id docuerunt facti suo Sacerdotes missi à Rege Josaphat lib. 2. Paralip. cap. 17. ibi: *Habentes librum legis Domini circuibant urbes Juda, & docebant populos.* Et visitationis apud Judæos uisitatae mentio extat in cap. 30. Exodi, juxta ignoti Interpretis versionem, quæ utitur D. Ambrosius epist. 1. ibi: *Quod si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione ipsorum, & dabunt singuli redemptionem anime Domino, & non erit in eis ruina.* In novo Testamento habemus Principem Pastorum Christum Dominum, qui apud Matthæum cap. 4. circuit totam Galilæam, civitates omnes, & castella, docens in synagogis, & prædicans Evangelium. Et apud Lucam cap. 8. iter facit per civitates, & castella, prædicans, & evangelizans regnum DEI. Et de D. Paulo refertur Actuum Apost. cap. 15. quod perambulabat Syriam, & Cihciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Et Magistratus Politicos visitationem uisitasse, constat ex leg. congruit, ff. de offic. Præsidis, ubi refertur, Præsidem peragrassè Provinciam suam, ut eam ab omnibus malis repurgaret. Et de Philippo Tetrarcha Itureæ, & Trachonitidis refert Josephus lib. 11. antiquit. cap. 6. & 9. *Solitum iter facere cum paucis selectis comitibus, subsequente sella, in qua sedens jura redderet. Quare si quis ex occurso opem ejus invocaret, sine dilatione, mox ibi sella postea residentem causam cognovisset, aut fontem damnasse, aut absoluisse innoxium.* His ergo exemplis moti Ecclesiæ PP. variis Canonibus statuerunt, ut Prælati Dioceses suas visitarent. Concil. Brachar. 2. can. 1. refertur in cap. placuit 10. quest. 1. cap. decrevimus, cap. 11. ead. causa & 9. Concil. Carthag. can. 53. ibi: *Constitutum est in Concilio Hipponensi, singulas Provincias tempore Concilii visitandas esse.* Meldense can. 39. *Quorundam Episcoporum reprehensibilis, imò damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut raro, aut nunquam per se ipsos juxta ordinem Evangelicum, & Apostolicum, atque Ecclesiasticum visitant.* Taurin. cap. 1. in fin. *Hoc Concilio utiliori decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquaque de his viciniores sibi inter Provincias vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas & proximas magis esse constiterit.* Trident. sess. 6. c. 3. & sess. 21. de reform. c. 8. referunt Crespetus in summa, verbo *Visitatio.* Ant. August. in epist. jur. lib. 4. titul. 63. & horum visitatorum mentio erat apud Gregor. lib. 3. tit. 63. ad Maxim. Syracus. ibi: *Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui cum ipsis per suam civitatem parochias fatigantur, aliquod laboris sui capiant re disponente subsidium.* Apud Joannem II. P. R. in epistol. 3. ad Episcopos Gallie, quæ extat tom. 2. Concil. Gall. & in cap. in singulis, de statu Monachorum.

6. **P**ræcipuum ergo Pastorum munus est visitare gregem, & lustrare populum suum ad confirmandos fideles, ad refecanda hæresion initia, & ut

per eos illis innolescant, quæ in Diocesi innovanda, mutanda, temperandaque sunt, ut adimpleant, quod de illis refertur Proverb. cap. 27. ibi: *Cognoscent diligenter vultum pecoris, quem non visitant?* Et cap. 10. Joannis, ibi: *Vocabunt oves nominatim.* Ubi in illis verbis: *Cognosco oves meas,* ait Theophilactus: *Mercenarius nescit oves: quod contingit, quia non sepe illas inspicit, ut cognosceret.* Plura tradunt Landmeter lib. 2. de veteri cleric. cap. 105. Aloix in notis ad vitam S. Abrucii, cap. 12. Acunna in cap. non debere, 80. dist. Alteserra lib. 2. dissert. cap. 9. & lib. 2. c. 5. Habent ergo visitandi curam omnes Prælati ecclesiastici, quibus jurisdictio competit cum administratione, cap. 1. hoc titul. in 6. veluti post Pontificem Cardinales in suis titulis, ex prælati textu, Patriarchæ, & Archiepiscopi in suis Provinciis, ut dicemus infra in cap. septite: Episcopus in sua Diocesi: Legatus à latere, cum officio legationis suæ à Sede Apostolica visitatio injungitur: & Legatus natus in sua Provincia, cap. accedentes, de prescript. cap. quia, de immunit. eccles. & Legatus missus, si ei specialiter injunctum sit onus visitandi, ut siturgens aliqua necessitas, expostulet visitationem, cap. cum in ista terra, cap. cum nuper, cap. procuraciones, hoc tit. cap. final. hoc titul. in 6. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 73. num. 20. & alleg. 119. num. 5. Archidiaconus etiam habet jus visitandi in Ecclesiis sibi subiectis, si illud longa consuetudine acquisierit, cap. super eo, hoc titul. cap. mandamus, cap. dilecto, de offic. Archidiacon. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3. quo modo accipiendus est prærens textus. Debet tamen Prælati visitare tantum semel in anno suam Diocesium, cap. decrevimus 10. quest. 1. cap. conquereute, de offic. Ordin. Trident. dist. cap. 3. nisi ex justa causa, & urgente delictorum necessitate consulerit, oportere pluries eam visitare, cap. excommunicamus. §. ad-jicimus, de hæretic. cap. visitandi 18. cum sequent. 18. quest. 2. docet Azor 2. part. in fin. lib. 3. cap. 40. quest. 1.

Consentaneum etiam Ecclesiæ Patribus visum, ut Prælati pergentes per populum suum, tempore visitationis aliquid reciperent subsidium, cap. cavendum 7. cap. inter 8. 10. quest. 3. cap. cum ex officio. de prescript. cap. 1. & 2. hoc titul. in 6. Clement. 1. hoc titul. extr. vag. extr. vag. Joan. XXII. de censib. extr. vag. 1. de Decimis, inter communes, D. Gregorius lib. 3. epist. 11. Maxim. Syracus. Episc. Visitatores Ecclesiarum, clericosque earum, qui cum ipsis per non suas parochias fatigantur, aliquod laboris sui capere subsidium debent. Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare rependantur obsequium. Et lib. 2. epist. 29. Felici Episcopo. Et lib. 11. epist. 16. Barbaro Episcopo. Innocent. III. lib. 1. epistol. 147. in illis verbis: *Cum igitur eidem Episcopo ob communem profectum visitanti communis procuratio debeatur.* Concil. Emerit. Can. 11. ibi: *Placuit, ut tam à Presbyteris, quam ab Abbatibus, sive etiam Diaconis, Episcopo honor debitus impendatur, ut à nullo contumeliam pati videatur, & quandoque contigerit, eum juxta canonice sententiam visitare suam parochiam, digne eum suscipiant, & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi praparent, quæ fuerint necessaria.* Concil. Brachar. 2. Tolet. 7. can. 4. Sed Concil. Parisiense sub Lado-vico, & Lothario lib. 1. c. 31. videtur distinctionem adhibere

adhibere, ut si Episcopus habeat sua, suis contentus sit, & nihil præterea postulet, etiam dum diocēsin visitat; ubi per sua, non proprium Episcopi patrimonium intelligas, sed iustum ex matricis Ecclesiæ redditibus, & fructibus portionem, alioqui si nihil rerum Ecclesiæ sua habeat, ut loquitur Concilium, tum quartam partem Decimarum, & reddituum ex oblationibus sibi vindicabat; sed postea indistinctè admissum fuit, ut Episcopo visitanti procuraciones darentur. Ratio assignatur in *dist. cap. cum ex officio, cap. si Episcopus, de offic. Ordin. in 6.* scilicet, quod cum visitantes spiritualia seminant ad utilitatem Ecclesiarum, quas visitant, merito ab eisdem temporalia ad sustentationem percipiunt, ut ideo magis alliciantur ad visitandum, nec pertimescant difficultatem in vicualibus de loco ad locum defendendis, aut in eisdem inquitendis, ut probat Barboſa *lib. 3. jur. Eccles. cap. 22. num. 7.* Hæc portio visitandi Prælati præstandi, procuratio dicitur, *dist. cap. conquerente, de offic. Ordin. dist. cap. 11. & 16. de prescript. argumento legis 1. §. sed & patronos, ff. de offic. Præf. Urb. l. si quis à liberis §. ff. de liber. agnos. licet aliàs procuratio accipiat pro administratione alieni negotii, leg. qui mittuntur, 35. §. item, ff. quibus causis major. apud Ciceronem lib. 3. de legibus, ibi: Quæro, quid re ipsa sit turpius, quàm sine procuratione Senator. Et 1. Academ. Sed etiam procuratio multis negotiis implicatam, & constructum tenebat. Plura de his procuracionibus Prælati tempore visitationis præstandis congerunt Fileſacus in *cap. conquerente 16. §. 20. de offic. ordin. ubi Petrus Gregorius cap. 17. Barboſa lib. 3. jur. eccles. cap. 22. & de potest. Episc. 3. p. alleg. 73. Rouſſelius lib. 5. hist. juris Pont. cap. 3. Cresolius lib. 4. mystag. cap. 18. Lemaître lib. 2. de iuribus Episcop. cap. 3. Mornac. in l. 1. Cod. de offic. Præf. Alteserra lib. 3. dissert. cap. 16. & lib. 4. cap. 4.**

Sed ut presbyteris reverentiam in Prælatos visitantes, ita ipsi Præfulibus modestiam, ac contentiam circa expensas, & modicas procuraciones suaserunt PP. unde Pelagius circa annum 570. Episcopos Diocēses visitantes admonuit, ne prandia enormia jubèrent fieri, sed secundum mediocritatem uniuscujusque loci Episcopo ad consignationem venientii præparati convivium: & PP. Concilii Cabilon. sub Carolo, *can. 14.* statuerunt, compescendas esse iniquas Præfulum exactiones, atque oportere Episcopos in lucris animarum potius quàm in deprædandis, & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dare; ut etiam apud Romanos Consules, vel Legati provincias obeuntes, & lustrantes, nunquam ante Posthumium Consulem usque ad annum Urbis conditæ 581. in ulla re oneri, aut sumptui fuerant, Livius *lib. 2. decad. 5.* quam parcimoniam velut renovans Cicero de se prædicat *lib. 4. ad Atticum, cap. 19.* nullum in se sumptum, cum Provinciæ obiret, nec publicè, nec privatim factum esse, nec in quemquam comitum suorum. Quare cum multi Episcopi diocēses lustrando clericos ad inopiam redigerent, ut de Joanne Ravennat. Archiepiscopo refert Sigonius de Regno Italia, ad annum 861. qui accusatus fuit in Synodo Romana sub Nicolao I. variis canonibus taxatum fuit, quid procuracionis nomine parochi penderent, ut in Concilio Tolosano *can. 4.* ibi: [Ut in circuitione parochia Episcopi de cætero singulos presbyteros

per singulas jacendo euntes Ecclesias, sicut hæcenus, non prædentur, cum scriptum sit, eosdem evangelizare debere, non turpis lucri gratiâ, ne vituperetur ministerium sanctum; sed considerent, & denuntient loca sibi, & populo convenientia, & illuc presbyteri, quotquot possibilitas, & moderatio providerit, plebes suas adducant, & ibidem Episcopi prædicent, confirmet, & populi errata inquirent, ac corrigant. Iterum autem, quia Dominica voce datur licentia, ut, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, licet Paulus Apostolus nihil horum fuerit usus, presbyteri tale conjectum faciant, ut & Episcopi solatium habeant, & ipsi non graventur: quod ita nobis fieri posse videtur, videlicet, ut quatuor presbyteri ad locum, ubi quintus degit, & Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant, & unusquisque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & frischingam de quatuor denariis, & pullos duos, & ova decem, & modium unum de annona ad cavillos, in subsidium, benedictionis gratiâ præsentent Episcopo: & similiter quintus, in cuius domo Episcopus residet, faciat. Nec amplius ab eo exigatur, nisi fortè ligna, & utensilia in opus ministerii commodet. Quapropter Episcopus provideat, ne domus, aut sepes illius à ministris vastentur.] Apertius, & distinctius in Concilio Turonensi sub Lodovic. II. *cap. 15.* ibi: *Episcopi huiusmodi dispensa contenti sint, panes centum, frischingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos septem, ova quinquaginta, agnum unum, annonam ad cavillos modios sex, feni corbes tres, mel, oleum, ceram, quod sufficit.* Concil. Tolos. *7. can. 4.* *Cum Episcopus Diocēsin visitat, nulli præ multitudinem onerosus existat, nec unquam quinarium (alii legunt, quinquagenarium) numerum electionis excedat, aut amplius quàm una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat.* Notavit Sahabedra in *Chron. Goth. cap. 24.* quos veteres canones circa electiones innotavit Concil. Later. in presenti.

Etiam circa ipsas procuraciones statutum legimus, ne Episcopi cessantes à visitatione, eas à propriis parochis redimant. Concil. Valent. Gallia *can. 22.* ibi: *Ut de servitio presbyterorum erga Episcopos consuetudo, ut nobis videtur, valde reprehensibilis amputetur, ut scilicet, quoties Episcopus statuo tempore visitationem, & prædicationem per eosdem sacerdotes non exercet, nequaquam ab eis pro solito servitio pecunias exigat.* Id ipsum statuit Concil. Lateran. relatum in *cap. Romanas, hoc tit. lib. 6.* Etiam cautum fuit à Bonifacio VIII. in *cap. felicis, eod. lib.* non licere visitanti, nisi unam procuracionem recipere una die, sive locum unum visitaverit, sive plura, etiam si locus quilibet ab illo visitatus sufficeret ad procuracionem integram persolvendam: & in utroque textu id specialiter prohibitum fuit, ne liceret procuraciones pecuniâ permutare, hoc est, loco victus & cibariorum nummariam pensionem sumere. Unde dum Concil. Brachar. *2. can. 2.* Episcopo Diocēsin visitanti duos solidos tribuit, non est accipiendum ita, ut solidi præstentur pro visitatione, sed pro cathedratico, de quo egi in *dist. cap. conquerente;* quod etiam procuratio dicitur in *cap. cum sit 10. de simon. & notarunt jam Fileſacus in dist. cap. conquerente, §. 20. in fine, Rouſſel. histor. Pont. jurisd. lib. 5. cap. 3.*

§.

Prohibemus etiam, ne subditos suos talliis, & exactionibus Episcopi gravare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquotiens superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Cùm enim dicat Apostolus, &c. *ut sup.*

10. **I**n præfenti §. agitur de charitativo subsidio, quod PP. Concilii vocant mediocre subsidium, de quo plura congeffit Barbosa *lib. 3. juris Eccles. cap. 21. per tot.* Licet enim Episcopus non possit novum censum subditis imponere, ut sequenti Commentario dicemus; potest tamen petere charitativum subsidium, iustâ existente causâ, *cap. nullus 1. quest. 1. cap. 3. de offic. vicar. cap. conquirente, de offic. ordin.* sicut à Principe seculari ob necessitatem publicam aliquid superindicti nomine exigitur, *l. 1. Cod. de superindicto, lib. 10.* quia tunc non dicitur novus census, sed cessante necessitate usque nunc intermissus, *leg. Antilicinius, de servit. rustic.* Dicitur autem iusta, si proprii redditus non sufficiant Episcopo, *cap. cavendum 10. quest. 3. si Ecclesia Cathedralis oneretur debitis, cap. unic. §. final. ut Eccles. benef.*

si Episcopus pergat ad Pontificem, vel Regem, aut vocatur ad Concilium generale: si Regem, aut Nuncium Apostolicum in Provincia excipit: si in re Ecclesiæ propugnanda, aut defendenda sumptus fecit insignes, vel si in favorem totius Diocesis redditus proprios impendit, vel ex alia iusta causâ, quæ relinquatur arbitrio superioris, Archiepiscopi videlicet, & Patriarchæ, *cap. clericus 11. quest. 1. vel summi Pontificis, cap. penultim. de V. S. Filelacus in cap. 18. de offic. Ordin.* Lemaitre *libro 2. de juribus Episcop. cap. 3.* & tunc Episcopus non potest excedere taxam, extrayaganti Benedicti XII. quæ incipit, *Unam sanctam, hoc tit.* notavit Parexa *in cap. 1. hoc tit. num. final.* & Solorzano *tom. 2. de jure ladicar. lib. 3. cap. 12. num. final.*

CAPUT VII.

Ex (a) eodem.

Prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, vel Episcopis, aliisve Prælati novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres auceantur, nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant: sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant: minoribus quoque suis bonâ voluntate conservent. Si quis verò aliter fecerit, irritum; quod egerit, habeatur.

NOTÆ.

1. **E**X (a) eodem.] Concilio videlicet Lateran. sub Alexandro III. celebrato, ubi *cap. 7. §. prohibemus,* reperitur textus hic, & in *cap. 7. hoc tit. in 1. collect.* ubi additur, *pars capituli cum in Ecclesia,* ut cognoscamus in præfenti referri secundam partem textus in *cap. 8. de simon.*

COMMENTARIUM.

2. **E**X præfenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Episcopi, & ceteri Prælati Ecclesiarum novos census in eis imponere, aut aliquam partem fructuum sibi reservare nequeunt.* Probant eam textus in *cap. Ecclesiis 9. significavit 13. cap. gravis 15. hoc tit. cap. tua nos 11. de iur. jur. cap. cum Clericis 6. de pactis, cap. quod plerique, de immunit. Eccles. cap. 1. 10. quest. 3. cap. 3. cap. nullus 120. 1. quest. 1. cap. nulli 27. 12. quest. 1. cap. nulli 62. 16. q. 1. cap. pastoralis 9. de his, quæ sunt à Prælat. c. unic. vers. Omnibus, ut eccles. benef. cap. avaritia 10. de præbend. cap. de cetero 5. §. ultim. de transact. Clem. unic. de suppiend. neglig. Concil. Toler. 4. Can. 51. ibi: *Quod si aliquid in Monachos Canonibus interdictum presumpserint, aut usurpare quippiam de monasterii rebus tentaverint, non de erit ab illis sententia excommunicationis.* Aurel. 1.*

Can. 21. Concil. Arelat. 3. Can. 1. Hispanie 2. Can. 11. Cabilon. Can. 17. ibi: Inventum est quod in quibusdam locis presbyteri duodenos, vel quater denos denarios Episcopis in censum annis singulis darent: quod penitus abolendum esse decrevimus. Nicen. 2. Can. 12. Can. 35. alias 37. Apost. Faciunt textus in l. 1. 2. §. 3. Cod. vectigalia nova instrui, l. 1. Cod. de passus publicis, lib. 11. novell. 130. Justin. cap. 3. Illustrant ultra congeustos à Barbosa & Garanna hinc, Cujacius in *cap. 18. de iudiciis,* & in *cap. avaritia, de præbend.* Antonius August. in *epit. jur. lib. 4. tit. 70.* Gothofredus in *Can. 39. Apost. Lotharius lib. 1. de re benef. cap. 36. num. 4.* Roussellus *lib. 5. hist. cap. 3.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam sæpe sapius legimus in iuribus pensiones sæpe imponi beneficiis tantum auctoritate Episcopi, *cap. 3. de offic. vicar. cap. permissus, de donat. cap. penult. de V. S. cap. nisi esset 21. cap. extirpando, §. qui verò, de præb. & in Legato à latere idem probat Cæsar de Eccles. Hierarch. disput. 5. §. 2. num. 26.* Igitur interiores Prælati possunt constituere novos census in Ecclesiis sibi subiectis. Augetur hæc difficultas ex eo, nam dum constituitur Ecclesia, census, aut similes pensiones possunt constitui ab Episcopis, & aliis Prælati, *cap. Eleutherius 18. quest. 2. cap. scientes 3. hoc tituli. cap. unic. ut Eccles. cap. ceteri dilecti*

dilectus 8. de consuet. cap. institum 6. de relig. domibus, docent Gigas de pers. quast. 6. num. ultim. Rebuffus in praxi, tit. de pacificis, num. III. Rochus à Curte de jurepatron. verbo Utile, num. 7. sed ipsa Ecclesia constructa manet sub jurisdictione Episcopi, cap. omnes 16. quast. 1. Ergo ejus auctoritate potest novus census constitui, vel antiquus augeri.

4. Censu aestimatione.
Qua dubitandi ratione non obstante vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, censum à verbo censo derivari; quod Romae significabat facultates aestimare, & in publicas tabulas referre; nec solum facultates, sed etiam capita civium, & cuiusque statum describere, juxta illud Ciceronis lib. 1. de legibus, ibi: Censores populi, civitatis soboles, familias, pecuniasque censant. Et sic census est descriptio, & aestimatio patrimonii, & matricula universorum civium, qui tam Romae, quam in Provinciis debebant. Describatur patrimonium tunc ad distinguendum ordinem Senatorum, Equestrium, & plebeiorum, ut eleganter ait Budaeus in 1. part. annot. ad Pandectas, in leg. final. ff. de Senator. Patrimonium aestimabatur, ut tributum perfolveretur, Hispanicè El padron, ò encabecamiento: leg. qua quisque 64. ff. de acquir. rer. domin. ibi: Quae quisque aliena in censum deducit, nihil magis ejus sunt. De hoc tributo patrimoniali interpretor textum in l. 2. ff. de censibus, cujus intellectum non assequitur Accursius; verius enim est, quod si aestimatio patrimonii pro solvendo tributo ex errore, vel vitio facta sit, talis aestimatio evanescit novis possessionibus, id est, dum tributarius novè & verè profiteretur suum patrimonium. De hoc etiam tributo intelligunt legem census, ff. de probat. ubi Marcellus ait: Censum & monumenta publica potiora testibus esse Senatus censuit. Sed verius est, in ea lege vulgari metaphorà continens pro contento sumi, hoc est, censum pro libro, in quo patrimonium scribebatur, ut notat Felicianus supra: quemadmodum aliis simili etiam figurà patrimonium ipsum, quod cenfebatur, census appellatur, juxta illud Ovidii 1. Fastor.

--- Dat census honores,
Census amicitias.

Et alibi.

Turpe thori reditus census angere paternos.
Sic accipio legem cogi, ff. ad Trebell. legem liberto 21. §. final. ff. de annuis legat. De personali censu intelligo legem ultimam, ff. de censibus, legem generali 32. §. ult. ff. de usufruct. legato. Et quoniam tributum, cui solvendo census agebatur, erat duplex, capitum, & patrimonii, d. leg. final. de censibus, §. Divus Vespasianus, ibi: Sed tributum his remisit capitum; sed D. Titus, etiam solum immune factum interpretatus est; de tributo capitum interpretor textum in l. acatem, ff. de censibus: ad quem verò modum census describeretur, constat ex Ulpiano in leg. forma censuali 4. ff. de censibus. Sed obiter adverteo, provinciales aliquos jure Italico gaudere, hoc est, immunitatem tributorum privilegio eis concessam esse, de qua loquitur textus in leg. Colonia, l. final. de censibus; unde in Hispania notum est nomen Nobilibus, qui sunt immunes à tributo, id est, que no pechan; quos ideo hidalgos, id est Italicos, seu jure Italico gaudentes appellamus, ut probat eruditè Covarr. lib. 4. var. cap. 1. num. 11. Praeterea cum non omnes patrimonialiter haberent, quibus cenferentur,

solo capite cenfebantur, quos Cicero in oratione pro Flacco, homines egentis, sordidos, sine honore, sine censu vocat; & paulò honestiori vocabulo proletarios, quòd solum sobole Republicam juvarent, appellatos fuisse refert Aulus Gellius lib. 16. Noctium, cap. 10. Quin etiam census adjectivum nomen divitem significat, ut apud Ciceronem, alt. 3. in Verrem, ubi notavit Alconius Pedianus: sic accipitur in lege Voconia, qua cavebatur, ne qui census esset, plus cuiquam relinqueret legatario, quam ad haeredes perveniret, princip. Instit. de lege Falcid. ubi notantur Hothomanus, & Balduinus. Et licet aliqui docti viri ad hanc censum & tributum rationem referant textum in l. etiam 16. ff. de probat. falluntur; siquidem in ea agitur non de professione patrimonii, qua Romae apud Censores fiebat; sed de professione filiorum, qua apud Praefectum aërii per parentes fiebat, de qua agitur in leg. cum de atate, l. Imperatores, §. final. ff. de probat. l. neque professio, Cod. de testament. leg. non nudis, Cod. de probat. l. 1. Cod. si minor se majorem: & dicemus in c. 6. de despons. impub. Tandem census accipitur pro tributo, pensatione, seu pecuniae collatione, l. 2. Cod. sine censu, vel reliquis. Unde dum D. Matthaeus, cap. 22. ait: Licet censum dare Cesari? apud Joannem legitimus: Tributum dare Cesari. Optimus textus in l. 8. tit. 2. part. 1. Inde census accipitur pro eo, quod annuatim praestatur, vel in recognitionem subjectionis, cap. recipimus, de privil. vel ratione foundationis, cap. quoniam, de jurepatron. vel ex aliis causis, de quibus in hoc tit. Hinc etiam vocatur census contractus, quo res alicui conceditur pleno jure, ita ut in accipientem transferatur directum & utile dominium, reservata concedenti aliqua pensione annuatim perfolvendà in recognitionem pristini domini: de quo contractu accipiendi sunt textus in cap. 1. de in integrum restit. cap. constitutum, de relig. domib. Denique paulatim translata significatione, census accipitur apud nos pro quodam contractu, in quo quis emit jus percipiendi ab alio pensionem ad certum terminum solvendam: Hispanicè dicimus, juros, y censos, de quibus peculiare tractatus ediderunt Eduardus, Felicianus, Avendaño, Gaspar Rodriguez, Cencius, & novissimè plura adduxerunt Leotheardus, & Gibalinus in suis tract. de usuris, Salgad. in labyrinth. passim.

His praemissis ratio, quare non liceat Episcopo, Abbatibus, & aliis Praelatis novos census imponere Ecclesiis sibi subjectis, redditur in praesenti textu in illis verbis: Sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bonà voluntate conservent. Quae deducitur ex illa communi ratione, quod quis sibi fieri non vult, alteri ne faciat: quam eleganter assignavit Leo Papa epist. 2. ad Anastasium Thessalon. in haec verba: Sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita nec audeat aliis importabile pondus imponere. Ratio autem hujus rationis, quare videlicet nec majoribus liceat novos census inferioribus imponere, aut veteres augere, ex eo provenit, quia horum censuum impositio nimis gravosa Ecclesiis est: quare similes impositiones sacri Canonis semper improbarunt, cap. 1. de consuet. cap. suggestum, de Decimis; praesertim quia hujusmodi novae impositiones ex avaritia provenire creduntur, quam sacri canonis maximè detestantur, cap. avaritia, de prob. cap. una, de jurejur. Accedit

Accedit & alia ratio, quia videlicet ex tali census impositione alienatio rerum Ecclesie sequitur, & per consequens sine causa & debita solemnitate fieri non potest, ut probat Garanna in presenti.

6.
Dissolvitur
dubitandi
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam aliud est census perpetuos Ecclesie imponere, aliud vero ad vitam Rectorum certam pensionem in favorem tertii constituere. Census perpetuos imponere ab Ecclesie Patribus, Episcopis, & ceteris Prælatibus prohibetur; at vero quoad vitam Rectorum certam pensionem beneficiis imponere Episcopis permittitur est ex iustis causis, quas recitavit in cap. nisi essent, de prob. & tradunt Lotharius d. q. 38. Tondurus in tract. de pensionibus. Nec etiam obstat augmentum ipsius difficultatis; nam præsentem Concilii Lateran. constitutionem, dum in ea prohibetur Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatibus, ne Ecclesie novos census imponant, sic accipiendam monent omnes repetentes, cum scilicet novi census imponuntur jam constructæ Ecclesie; nam dum ipsa fundatur, census imponi posse, sive ab Episcopis, sive à Patronis, statuitur in iuribus supra citatis. Nec tunc obstat textus in cap. Ecclesie 9. hoc tit. ubi docetur, non licere Episcopis censum imponere Ecclesie, quas noviter de manibus laicorum eripiunt; igitur quia nec in ipsa fundatione potest ab Episcopo novus census imponi. Nam respondetur, tempore fundationis posse Episcopum censum imponere, sed in dicto cap. Ecclesie, etsi Episcopus de novo Ecclesiam de laicorum manibus liberaverit, non ideo eam fundavit; quia ad hoc ex officio tenebatur, cap. 2. de donat. cap. 3. de relig. domib. & ita cum ex debito officii teneretur Ecclesiam recuperare, non ideo poterat censum illi imponere.

7.
Exponitur
textus in
cap. nullus
124. l. 1. q. 1.

Ex supra traditis accipit lucem textus in cap. nullus l. 1. quest. 1. ubi D. Gregorius ait: Nullus Episcopus gravamen, seu servile servitium ex usu contra Ecclesiasticam normam Abbatibus, seu clericis imponat. Ubi difficilia sunt illa verba, ex usu; in quibus significari videtur, servitium consuetum, seu censum antiquum non posse ab Episcopo exigi: igitur non solum novos census, verum nec veteres exigere Episcopis ab inferioribus Prælatibus licet. Augetur hæc difficultas in cap. servitium 18. quest. 2. ubi Urbanus II. contrarium statuit his verbis: Servitium, quod monasteria, aut eorum Ecclesie à tempore Gregorii VII. usque ad hoc tempus fecerunt, & nos concedimus. Pro cuius difficultatis solutione Glossa ibi existimat verba illa, ex usu, non importare antiquam perceptionem census, aut servitii; sed significare idem ac, non assuescat gravamen, seu servile servitium Abbatibus, vel clericis imponere. Sed omisâ hac solutione dicendum est cum Turremata in eo textu, verba illa, gravamen, seu servile servitium, intelligenda esse de fordidis muneribus, de quibus in leg. libertus 17. §. exigendis, ff. ad municip. l. 13. cum sequent. C. de excus. muner. lib. 10. l. 1. Cod. de privil. domus August. lib. 11. l. 15. & 18. C. Theodos. de fordidis muner. quæ Episcopi exigere nequeunt etiam prætextu consuetudinis, l. 2. Cod. de Episc. & Cleric. etsi quando in pecunia consistunt, contrarium intendat Duarenus lib. 2. de sacr. Eccl. ministr. cap. 4.

8.
Exponitur
c. præterea
3. hoc tit.

Deinde supra traditis obstat textus in cap. præterea 3. hoc tit. ubi docet Alex. III. quod illi, qui Episcopo ignorante, auctoritate sua pensio-

nem annuatim de Ecclesie collusione factâ solvunt, aut recipiunt, eis personis defunctis, hi, qui per Episcopum, vel ministrum potestatem ejus auctoritate instituendi personas habentem, jus recipiendi canonem receperint, in receptionem pensionis non sunt aliquatenus audiendi, præsertim si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritate intervenisse non constiterit. Ex quibus ultimis verbis ibi: Si de Pontificis, aut alterius, aperte constat, tantum presbyteris simplicibus prohiberi novos census imponere Ecclesie, Pontificem vero, & Episcopos, eos ritè imponere posse. Agnovit difficultatem Glossa ibi, quæ existimat, interveniente iustâ causâ rectè posse Episcopum, etsi non sibi, aliis tamen novam pensionem constituere. Movetur ex hoc nostro textu in illis verbis: Suis usibus appropriare; quæ significant prohibitionem hanc esse tantum, ne Episcopus pensionem sibi constituat, aliis vero constituere non prohibetur: quod & tenet Glossa in Clement. unic. de supplicanda neglig. quam sequuntur Abbas, Innocentius, Anton. Cardinalis in presenti, quasi præsens prohibitio respectu Episcopi, exemplo tutoris sit, qui etsi ad alienationem possit auctoritatem accommodare; sibi tamè auctor fieri nequit, l. 1. l. pupillus 5. Digest. de auctor. tut. Quæ solutio retellitur tum ex generalibus verbis præsentis textus; tum ex eo, quia in qualibet census impositione alienatio veritur: at Episcopus etiam iustâ causâ interveniente non potest alienationem celebrare per se sine consensu Capituli, cap. sine exceptione. quest. 2. cum aliis congestis in cap. nulli, de rebus Ecclesie. Igitur nec pro aliis Episcopus potest novum censum Ecclesie imponere: Quare aliqui existimaverunt verba illa, Aut alterius, qui de jure id facere poterit; intelligenda esse de Episcopo cum auctoritate Capituli. Sed nec hæc solutio placeat, quia si de Episcopo, & Capitulo Alexander Pontifex ageret, non singulari nomine uteretur ibi, Alterius; sed plurali. Deinde hujusmodi auctores non explicant verba illa, Collusione factâ; non enim creditur, quod collusione interveniente iustâ causa dari possit, cur Episcopus huic alienationi consentiret. Alii tandem existimaverunt, textum illum procedere ante præsentem prohibitionem Concilii Lateran. in quo specialiter cautum fuit, ne Episcopi novos census, aut veteres augere possent. Sed etiam hæc solutio convincitur ex ordine hujus compilationis. Quare his solutionibus omisâ, dum alius meliora afferat, existimo in dict. cap. præterea, verba illa, Collusione factâ, vel ut vulgò legitur, Illusione factâ, significare transactionem factam inter possessorem Ecclesie, & alium tertium, qui eo pacto voluit obligare etiam post mortem suam Ecclesiam, quod facere non poterat sine auctoritate Episcopi, cap. de cetero, de transact. ubi docetur, transactione factâ ignorante Episcopo, & constituto censu, non durare ejus obligationem, nisi dum vivit, qui transigit; accedente vero Episcopi consensu deducitur, obligationem durare: quod etiam docetur in dict. cap. præterea, non enim simplices sacerdotes possunt Ecclesias, quibus præsentem, præsertim post decessum suum, constituere censuales, etiam ex causa transactionis: at verò accedente Episcopi auctoritate similem pensionem constitui posse: & ita textus in dict. cap. præterea, loquitur in casu transactionis.

nam si de vera collusione ageret Alexander, ipsi contrahentes privarentur beneficio, ex cap. cum clerici 6. de pactis, cap. cum clerici 11. hoc tit.

Deinceps supra traditis obstat textus in cap. cum venisset 9. de restitu. spol. ubi idem Alexand. III. statuit, licitam esse unionem cujusdam Ecclesie factam per Eboracen. Archiepiscopum Canonicis Sancte Trinitatis; & similiter validam fuisse reservationem pensionis ab ipso factam, ut constat ex illis verbis: *Et interim auctoritate ipsius Archiepiscopi, idem G. ipse Canonicis annuam solveret pensionem.* Igitur quia Archiepiscopus potest novum censum Ecclesiis sibi subiectis imponere. Cui difficultati ut satisfaciant Gofiedus, & alii antiquiores ibi, docent Archiepiscopum in ea specie non constituisse pensionem illam de novo solvendam ipsi monasterio, sed antea constitutam, & sibi debitam, transfuisse in monasterium, & juxta hunc intellectum, ejus textus casum referunt Baldus, & Abbas; sed ut jam notavit Hostiensis, ea interpretatio repugnat verbis illis: *Auctoritate ipsius*; quæ significant pensionem auctoritate

Archiepiscopi de novo impostam fuisse, & ita putat, inferiores Pontifice posse ex justa causa constituere annuam pensionem ex redditibus Ecclesie aliis solvendam; quod & docuerunt Felinus in cap. ad audientiam, 31. num. 2. de rescript. Gigas de pension. quest. 6. Rebuffus in praxi, titul. de pacificis, num. 106. Corraus de sacerdot. 1. p. cap. 4. qui expendunt textus in cap. nisi essent 21. cap. extirpanda, §. qui verò, de prabend. eosque sequitur novissime Tondutus de pension. cap. 1. Nec tunc obstat præsens Concilii Lateran. prohibitio, quia ut ipsi docent, procedit in censu perpetuo ipsis Ecclesiis imposto, non verò in pensione ad vitam Rectoris constituta, seu temporaria, de qua in dictis iuribus, & in cap. querelam, post Concil. Lateran. cap. 28. Sed facilis, veriusque exponitur textus in d. cap. cum venisset, si ejus integram consulamus, ubi hæc verba leguntur: *Nos postmodum ipsam concessionem, scripto ipsius Archiepiscopi diligenter inspecto, auctoritate Apostolica duximus confirmandam.* Unde cum auctoritate summi Pontificis pensio constituta esset, de ejus validitate ambigendum non est.

CAPUT VIII.

Alexand. (a) Wigorn. Episcopo.

Præterea illi, qui Episcopo ignorante, auctoritate sua pensionem annuam de Ecclesiis quadam illusione solverint, sive receperint, eis defunctis, nisi ab iis, qui per Episcopum, vel (b) ministeriales ejus, auctoritatem instituendi personas habentes, jus recipiendi canonem receperint, in receptione pensionis non sunt aliquatenus audiendi, præsertim si Pontificalem, aut alterius, qui de jure id facere potuit, auctoritatem, & assensum non intervenisse constiterit. Non enim simplices sacerdotes, vel clerici possunt Ecclesias, quibus præsent, auctoritate sua, præsertim post decessum suum, censuales efficere.

NOTÆ.

1. (a) *Wigorn.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. part. 28. cap. 9. & in prima collectione, sub hoc titul. cap. 8. ubi additur, *part capitul. Meminimus*, ut cognoscamus in præsent

referri partem textus in cap. *meminimus*, qui clerici vel non. ubi extat prior pars hujus decretalis.

(b) *Ministeriales.*] Archidiaconum videlicet, vel Vicarium, de quibus egi in cap. *ea*, de institut. & textum hunc exposui Commentario antecedenti.

CAPUT IX.

Idem (a) Carnot. Episcopo.

Ecclesiis autem, quas de novo Episcopi de manibus laicorum eripiunt, præter (b) cathedralicum, juraque (c) omnia, quæ aliis Ecclesiis imponuntur, non videmus exactiorem imponendam. Quin novis exactiõibus decreto nostro prohibemus generaliter amodò Ecclesiis prægravari.

NOTÆ.

1. (a) *Carnot.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. final. sed rectius post Concil. Lateran. p. 2. cap. 8. habetur *Cenomanensi*, & dum in dicta prima collectione additur *part capitul. Tua nos*, facile cognoscitur, in præsent

referri partem textus in cap. 1. de clericis peregrinis, ubi legitur *Cenomanensi*.

(b) *Cathedralicum.*] Penstatio hæc ita appellatur à cathedra, quia præstat Episcopo ob honorem cathedræ. Concil. Brachar. 2. can. 2. Tolet. 7. can. 4. Cathedra autem in sacris canonibus significat principale munus Episcopi, cap. non autem,

autem, cap. placuit, cap. si quis Episcopus 7. semestr. cap. 1. fol. 266. Parex in cap. 1. hoc tit. quæst. 1. cap. luminoso 18. quæst. 2. docent ultra num. 17.
congestos in d. cap. conquerente, Duarenus de (c) [iura omnia.] Quæ reuli in dicit. cap. con-
sacris Eccles. lib. 3. cap. 5. Langleus lib. 6. querente, de offic. ordin.

CAPUT X.

(a) Idem.

In novamus. Et infra: Nec quisquam alicui novas (b) pedagiorum exactiones sine auctoritate (c) Regum, & Principum consensu statuere, aut statutas de novo tenere, aut veteres augmentare aliquo modo temerè præsumat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & commonitus non destiterit, donec satisfaciatur, communione careat Christianâ.

NOTÆ.

1. (a) **I**dem.] Alexander videlicet III. in Concilio Lateran. can. 22. ut notavi in cap. 2. de treuga & pace. ubi exposui priorem partem hujus canonis.
2. (b) **P**edagiorum.] Pedagium propriè est tributum, quod exigitur pro transitu pedestri; sed latè pro qualibet exactione ponitur. Petrus de Vineis lib. 5. epist. 37. ibi: Sine alienius pedagii exactione ire, stare, & ad nostram Curiam redire securè, & liberè permittatis. Urbanus V. Papa in Bulla de jurisdictione Camerarii, quæ extat tom. 1. Bullarii, ibi: Olim siquidem felices record. Bonifacius VIII. prædecessor noster, eos qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causâ deserunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, pedagia, seu guidagia suo vel alieno nomine exigere, vel extorquere, &c. Illustrat Joannes Vossius de vitis sermon. lib. 3. cap. 34.
(c) **R**egum.] Etsi non sint Reges, modò sint superiores. Illustrat Tapia tom. 1. catena mor. lib. 4. quæst. 11. art. 2.

COMMENTARIUM.

3. **T**ributa, vectigaliâve tantùm imponere potest Princeps non recognoscens superiorem, seu Respublica libera, leg. vectigalia, ff. de publicanis, lib. 1. §. 2. Cod. vectigalia nova: probant Suarez de legibus lib. 5. cap. 14. Schönbornius lib. 4. Polit. cap. 25. quæ potestas adeo propria est Principis, ut absque speciali concessione non censeatur in alium translata. Covarr. practic. cap. 1. num. 10. Menochius de arbitr. lib. 3. præsumpt. 97. num. 41. Barbosa in presenti, num. 3. Apud Romanos tamen, vigente eorum Republica, nefas fuit vectigalia institui sine Senatus, populique auctoritate, teste Livio lib. 29. unde vectigal etiam in opera publica à Lepido, & Fulvio Censoribus indictum fuit; verùm auctore Senatu, ac populo, penes quem summum imperium erat. Idem Livius lib. 40. ibi: Censoribus postulantis, ut pecunia summa sibi, quâ in opera publica uterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum est. Everla verò Republicâ, cùm in populi jura successerunt Cæsares, sancitum fuit, ne sine præcepto Principis nova vectigalia instituerentur, d. leg. vectigalia. Diocæsius lib. 53. ibi: He verò leges omnibus ex aquo provinciarum Rectoribus facta, ne quem delectum militum agerent, ne pecuniam supra modum, qui constitutus erat, exigerent, Senatus, Imperatorisve injussu. Idem lege Francica cautum fuit lib. 3. capitul. cap. 12. ibi: Placet nobis, ut antiqua, & justa telonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam de navigiis, seu mercatibus; nova vero, seu injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus præstatur, ut non exigantur, &c. Si quid verò fuerit, unde dubitetur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis missis habituri sumus, interrogetur. Et lib. 4. cap. 47. Unde inter jura regalia à Frederico relata in cap. unico. quæ sunt regalia in nullum feudor. primos apices regalium tenent jus vectigalium; probat fuse Gibalinus lib. 2. de negot. cap. 2. art. 2. Hoc autem jus indicendi tributum, ut ex eodem cap. 1. constat, olim exercebatur quatuor ex causis, nempe pro dote filiarum primogenitarum, pro militia nati, id est equestris dignitatis accessione; pro transmarina expeditione, vel redemptione capti ab hostibus. Hoc jure Wisigothorum Regi nubente filiarum Chilperici Regis, et à Francis oblata fuerunt munera, ut refert Gregorius Turon. lib. 6. histor. cap. 45. ibi: Franci verò multa munera obtulerunt, alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, plerique vestimenta, & unguentum, ut potuit, donativum dedit. Et Frederico II. Imperatori concessum fuisse subsidium ad collocandam primogenitam filiam, tradit Mattheus Paris. anno Christi 1244. ibi: Tandem unanimiter, cùm nullo modo ad aliam formam possent flecti, concesserunt Domino Regi ad maritandam filiam suam primogenitam de omnibus qui tenent de dono Regis in capite, de singulis scutis viginti solidos solvendas, scilicet medietatem ad Pascha, & aliam ad festum sancti Michaelis. Pro militia filii Eduardo I. crogata fuit tricesima rerum à Clero, & plebe, ut tradit Mattheus Westmonasteriensis anno 1206. ibi: Die autem crastina cinxit Rex filium suum baltheo militari in palatio suo, & dedit ei ducatum Aquitanie, &c. Pro hac autem militia filii Regis concessus est Regi trigessimus denarius à populo, & Clero: mercatores verò vicissim concesserunt. Pro militari expeditione solennis fuit Francis, & Germanis Regibus indictio, quam fodrum vocarunt: Otho Fisingen. lib. 2. de gestis Frederici cap. 13. ibi: Mos enim antiquus, ex quo Imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus est tempora, ut quotiescunque Reges Italiam ingredi destinaverint, gnarum quotieslibet de familia

familiaribus suis pramiant, qui singulas civitates, seu oppida peragrando, ea qua ad fscum Regalem spectant, qua ab acollis fodrum dicuntur, exquirant. Similiter liberandi Principis gratia, Clerum, & plebem conferte debere constat ex Innocentio III. lib. 2. epist. 406. & factum fuisse in Anglia p̄t̄m capto Richardo I. à Leopoldo Duce Austriae, refert Rogerius Hoveden. in Richardo I. Sequentibus vero saeculis, & nostris, ex causis tributa imponi ceperunt, de quibus, & iustitia in eis imponendis servanda plura politè, & politicè differuit eruditus vir D. Joan. de Solorzano embl. 82. & 83.

Alii autem privati nova pedagia, seu vectigalia imponentes lege Julia de ambitu, & de vi publica tenentur, l. un. §. item is 2. ff. ad leg. Jul. de ambitu, leg. ult. ff. ad leg. Jul. de vi public. l. penult. Cod. vectigalia, leg. un. Cod. de superindict. lib. 10. Sed adhuc Comites, & alii inferiores Principes novis censibus, & vectigalibus provinciales atterere non dubitarunt. Quare hac de re eos valde increparunt sacri Canoness. Concilium Turon. 3. can. 39. ibi: Admonendi sunt Domini subditorum, ut circa suos piè, & misericorditer agant, vel eos qualibet injusta occasione condemnent, non vi opprimant, non illorum substantias iniuste tollant, nec ipsa debita, qua à subditis reddenda sunt, impiè, ac crudeliter exigantur. Immo non defuerunt Principes, qui adumbatam religionem in quaestu ponerent, & specie comearum Romanæ, vel Turonensis peregrinationis pecunias à pagenibus exigent. Concil. Cabilon. 2. can. 45. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia sub pretextu Romani, sive Tyrtonici itineris multa acquirunt, multos pauperes opprimunt, & quod solà cupiditate faciunt, orationem, sive sanctorum locorum visitationis causâ se facere videri affectant. Unde eò angustiarum redacti fuerunt infelices rustici, ut tributis exhausti, migrare compellerentur, & novas sedes quaerere. Odo Cluniac. in vita Geraldi Comitis Aurel. lib. 1. cap. 24. ibi: Aliquando enim non paucos ex rusticis obvios habuit, qui devotissimis colonis suis in aliam provinciam transmigrabant; quos cum recognovisset, & quoniam cum sua supellechile tenderent, inquisisset, responderunt, quod injuriati fuissent ab eo, cum ipse beneficiaverat eos. Joannes Saresbar. lib. 6. Polycrat. cap. 1. P. Venerab. in apolog. Cluniac. lib. 1. epist. 28. ibi: Pauci quippe cunctis, qualiter saculares domini rusticis servis, & ancillis dominantur. Non enim contenti sunt eorum usuali & debitâ servitute, sed & res cum personis, & personas cum rebus sibi semper immisericorditer vendicant: inde est, quod præter solitos census, rer. aut quater in anno, vel quotiens volunt, bona ipsorum diripiunt, innumeris servitiis affligunt, onera gravia, & importabilia imponunt, unde plerumq. eos etiam solum proprium relinquere, & ad peregrina fugere cogunt; & quod durius est, ipsas personas, quas tam charo pretio, hoc est suo Christi sanguine redemit, pro tam vili, hoc est pecunia, venditare non metuunt. Cæsius Eisterbachensis lib. 2. mirac. cap. 7. Vacca, inquit, ipsa sua inquietudine, & depastione nobiles, & advocatos temporis nostri designant, qui domos & agros subditorum hostiando depascunt, & per assiduas exactiones, quas in illos faciunt, in substantia recrescere non sinunt. Hoc jure usus fuit Comes Tolosanus,

ut pedagia, guidagia, salinaria, & alia hujusmodi in ditionis suæ finibus instar Regum exigeret. Quamobrem anathematis minis territus à Milone Legato Sedis Apostolicæ, de justis vectigalis modo Innocentium III. summum Pontificem consuluit, & ab eo rescriptum tulit, quod extat in cap. super, de P. S. Nec alio jure quàm consuetudine jus collectam exigendi evindicasse Abbatum sancti Germani de Pratis, auctor est Stephanus Tornacensis epist. 147. Abbas, inquit, sancti Germani de Pratis per singulos annos in terra sua moderatam collectam habet, & habuit, jure consuetudinis censum sibi debitum & recipit, & recepit; & ecce quodam motu sacellites Palatini prohibent hominibus, & hospitibus Ecclesie predictæ, ne solvant, quod ipsi solverunt, & patres eorum. Unde factum, ut sepius fendo exheredati, id est multati sint Comites, & alii Domini principales ob malas consuetudines, id est, novas & improbas exactiones, ut refert Robertus Montensis ad annum Christi 1166. Wilhelmus Talavacius, Comes Sagiensis, & filius ejus Joannes, & item Joannes nepos ejus, filius Guidonis primogeniti sui, Comitis Pontini, concesserunt Regi Henrico castrum Alencejum, & Roccam Mabirit, cum eis qua ad ipsa castella pertinent; & forsitan ideo predictas munitiones perdidissent, quia malas consuetudines ipsi, & eorum intercessores diu ibi tenuerant, quas Rex Henricus statim meliorari precepit. Porro jura Dominica, consuetudines ea ætas dicitavit, quod plerumque haud alio titulo, quàm moribus niterentur. Gofridus Vindocinensis lib. 1. epist. 2. ad Paschalem II. Sunt enim (inquit) in partibus nostris quidam sacri nobiles genere, sed multum ignobiles actione; mihi quidem carne propinqui, at moribus, & vita longinqui: hi de rebus monasterii, cuius, licet indignus, curam gerere videor, perversas quasdam exactiones, sive consuetudines extorquere laborant, quas prædecessores eorum longè ante per violentiam rebus ipsi impresserant. Et Robertus Montensis ad annum 1164. Rotrocius Episcopus Ebroicensis, & Reinaldus de sancto Valerio in Normanniam recognoscere missi sunt jussu Regis per Episcopatus, regulares redditus, & consuetudines ad Regem, & ad Barones pertinentes. Et longè antè Synodus Meldensis can. 19. Ut ab Ecclesiis vestra ditioni subiectis indebitas consuetudines, & injustas exactiones de cætero non exactentur. Unde PP. Concilii Lateran. ut radicibus extirparent hanc corruptelam imponendi pedagia, & similes exactiones à Comitibus, & aliis Principibus secularibus, statuerunt, ut alia pedagia nova exigentes, donec satisfaciant, communionem careant Christiana, quam penam firmavit etiam Innocentius III. lib. 2. regestr. 14. epist. 39. In Bulla Cenæ Domini §. 5. ita cavetur. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à jure, sive ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel argent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt. Prosequuntur post Capuam, Vivaldum, Sayrum, Marium Alterium, Soufam, Toletum in exposit. Bull. Cæna, Suarez de censur. disput. 21. sect. 2. num. 42. Fragoso p. 2. de regim. Christi. Respubl. disp. 3. lib. 5. §. 5.

CAPUT XI.

Idem (a) *Cantuar. Archiepisc.*

Cum Clerici. *Et infra:* Ad hæc quia sunt Clerici quidam, qui cum religiosis viris collusionem factam, citra auctoritatem Diocesani Episcopi Ecclesias quas tenent, eis constituunt censuales, ut post decessum eorum Ecclesiæ per repræsentationem eorundem religiosorum virorum ad filios, vel nepotes Clericorum ipsorum possint transferri: præsentium auctoritate vobis præcipimus, ut si qui Clericorum vestrorum inventi fuerint facere talia, eos à præscriptis Ecclesiis sub. ap. rem. non differatis auctoritate Apostolica removere, ne de sua fraude, vel dolo fructum videantur reportare.

NOTÆ.

- i. (a) *Cantuar.]* Ita etiam legitur in cap. 17. de *de pactis*, ubi integram litteram hujus textus dedimus, & humiliter Commentarium invenimus supra in *simon. in 1. collect.* & in cap. cum clerici, cap. prohibemus.

CAPUT XII.

(a) Idem.

EA quæ de avaritiæ, & cupiditatis radice procedunt, & in speciem simoniacæ pravitatis erumpunt, penitus extirpanda sunt; & quæ de tribulis, & spinis procedunt, falce Apostolici moderaminis sunt resecanda. Audivimus (b) tamen, quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiis ausu temerario extorquetis, quos diversis nominibus, nunc Cathedralicum, aliquando Paschalem præstationem, interdum Episcopalem consuetudinem appellatis. Quia verò simoniacum esse cognoscitur, & periculum generat animarum, per A. f. m. & m. præ. quat. ab Ecclesiis sub prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis præscriptos denarios ulterius nullatenus exigatis, pro certo scituri, quod si hoc ausu temerario præsumpseritis, periculum ordinis, & dignitatis vestrae potentis non immeritò formidare. Nihilominus etiam vobis præsentium auctoritate injungimus, ut cum Ecclesias ipsas visitaveritis, secundum quod canones præcipiunt, visitationis officium exerceatis, nec Ecclesias visitatione vestra gravetis, ut eas magis intuitu informationis, & correctionis, quàm affectu comestationis videamini visitare. Cum autem B. Petri denariorum collectionem per Archidiaconatus vestros feceritis, in collectione facienda prædictas Ecclesias, vel parochias gravare nullatenus præsumatis aliter, siue magis, quàm prædecessores nostri sanctæ recordationis Innocentius, & Eugenius Romani Pontifices fecisse noscuntur. Quod si temeritate qualibet id præsumpseritis attentate, id quod videmini habere, auferetur à vobis.

NOTÆ.

COMMENTARIUM.

- i. (a) *Idem.]* Ita etiam legitur in prima collectione, *sub titul. de simonia, cap. 15.* ex qua litteram transcribo: post Concil. autem Lateran. p. 2. cap. 5. legitur *idem in Concilio Tyrone*nsi: sed rectius emendavit Antonius Augustin. in *notis ad dictam 1. collect.* sic: *Idem Archidiaconis per Angliam constitutus*; nam de his in præsentem egi, ex verbis ipsius textus aperte constat.

(b) *Audivimus autem.]* Hanc priorem textus partem transcripsit Raymundus in cap. 16. de *simon.* ubi eam exponemus.

In secunda parte hujus textus, quam in præsentem transcripsit Raymundus, agitur de censu, seu tributo, quod denarium D. Petri Latine, Anglice verò *Ramscoth*, dicebatur, & olim pendebatur ex universis domibus Angliæ: pro cuius origine, & progressu sciendum est, Regem Inam Saxonum, & magnæ Britanniæ Regum, decessorum suorum insignis devotionis æmulum, ut perpetuo pietatis munimento fidem suam erga Romanam Ecclesiam relinqueret testatam, universi regni denarios singulas singulos denarios argenteos annuatim

sancto Petro pendere stauisse, sic devincire populum suum studens, ut annui census penitentione Dominum suum agnosceret sanctum Petrum, cujus & fidem firmam, illibatamque jugiter conservaret, & auxilium in necessitatibus invocaret, ut referunt de ipso Rege Ina agentes Spelmanus, in *Conciliis*, pag. 230. ibi: *Primus omnium Regum denarium ex singulis domibus regni sui B. Petro fertur concessisse, quod diu ab Anglis Ramecoft, Latine denarius dñi Petri vocabatur.* Cande us in *sua Britannia*, pag. 192. ibi: *Ina Rex cum regnum vestigale Pontifici Romano, imposito in singulas domos denario fecisset, &c. Magdeburg. cent. 8. cap. 1. colum. 3.* ibi: *Inas Britannia Rex suum regnum ulro ei (Papæ) fecit tributarium.* Baldaus *cent. 2. cap. 20.* ibi: *Ethelbolfus eas insula partes, quas pater Imperio acquiserat, Pontifici Leoni IV. vestigales fecit, Inam, & Offam Reges prædecessores imitatus.* Olmsedus *lib. 6. Histor. cap. 4.* *Offa imitatus exemplum Regis Ina fecit regnum suum subditum Ecclesie Romanae per modum tributi.* Spedus in *histor. Britann. lib. 7. cap. 30.* *Offa Rex Romanam profectus est, ubi imitatus exemplum Ina, fecit regnum suum subiectum tributo.* Patcherus in *vita Britwaldi*, ibi: *Ina primus concessit illud tributum, quod vulgo dicitur Peterpence, solvendum Ecclesie Romanae.* Ex alius idem referunt Baronius anno 54. Smitheus in *floribus Ecclesie Anglic. lib. 2. cap. 7.* quod tributum postea auctum fuit ab Athulfo Rege per totius ferè insulæ imperium. Unde in legibus Angliæ, & Statutis Willelmi Senioris, titulo de denario sancti Petri ita legitur: *Omnis, qui habuerit triginta denarios viva pecunie in domo sua, de proprio suo. Anglorum lege dabit denarium sancti Petri, & Pauli.* Et colligi ante festivitatem sancti Petri ad vincula, notavit Idumay in *notis ad Innocent. III. lib. 4. epistol. 173.* Accidit autem illud mirandum, notandumque, quod ut confessum ac cessavit pendi vestigal hoc, hæresum alluvione Anglicana Ecclesia absorpta fuit,

ut refert Baronius, & probat anno 782. & Albericus in lege *item illa, de constitut. pecun.* Cujacius in *cap. 7. de despons. impub.* & etiam de Polonia idem refert ipse Baronius anno 1045. Et quia collectores hujus tributi in ejus collectione fraudes nonnunquam admittebant, emanavit præfens Alexandri constitutio, & etiam Innocentius III. *lib. 4. registr. 36. epistol. 173.* de hoc denario D. Petri in hæc verba rescribit Tusculano Episcopo Apostolicæ Sedis Legato: [Cum sicut vestra discretio plenè novit, singulæ domus totius Angliæ singulos denarios pro censu B. Petri annuatim nobis solvere teneantur, Prælati Angliæ, qui eum nostro nomine collegerunt, rem invito Domino contrectantes, majorem sibi exinde partem non sunt veriti retinere, cum non nisi trecentas marchas nobis persolverint, & sibi mille, vel amplius usurparint. Ut igitur jus Ecclesie Romanæ servetur illæsum, discretioni vestræ præsentium auctoritate districtè præcipiendo mandamus, quatenus prius recipientes ab eis denarium ipsum, prout hæcenus exsolverunt, & eos ad id, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compellent, firmiter postmodum ex parte nostra injungatis eisdem, ut residuum cum integritate persolvant. Non enim videmus, quo jure valeant se tueri, cum nec concessionem possint ostendere à Sede Apostolica sibi factam, nec centenariam contra Romanam Ecclesiam præscriptionem probare, maxime si tempora schismatum subducantur. Si tamen de jure voluerint expetiri, præfigatis eis terminum competentem, quo per responsales idoneos nostro se conspectui representent, quicquid juris super his habuerint, ostensuri, protestatione præmissâ, quod si judicio duxerint contendendum, nos, quicquid hæcenus est substractum, in ipso judicio repetemus. Datum Later. V. Kalend. Febr. P. N. anno XVI.] Alia dedit Alcestera *lib. 3. Dissert. cap. 12.*

CAPUT XIII.

(a) Lucius III.

Significavit T. nobis Rector Ecclesie de Sultig. quod cum à dil. fil. Abbate, & Monachis de Clansig. ad regimen Ecclesie ipsius electus fuisset, de solvendo annuo censu trium marcharum, quem prædecessor ejus solverat, præstitit (b) corporaliter sacramentum: postmodum ven. f. nosster N. Bathanen. (c) Episcopus, in cujus Diocesi Ecclesia ipsa consistit, ne ipsum censum monachis solveret, nisi prius constaret, (d) quod Episcopali auctoritate fuisset impositus, in periculum Ordinis sui & sub in determinatione anathematis interdixit. Unde prædictus Rector hinc perjurii reatum metuit, & inde timet inobedientie periculum imminere. Quocirca f. t. per A. f. m. quat. partibus ante præsentiam vestram convocatis, si tibi præfatum canonem de auctoritate Præfatis, non de novo impositum fuisse constiterit, Episcopo auctoritate nostra præcipias, ut prohibitionem sine dilatione relaxet. Si verò census sit de novo impositus, sive auctoritate Episcopi hoc factum fuerit, sive non, Abbates, & monachos, ut clericum à juramento (e) absolvant, ap. rem. ecclesiasticâ districtione compellas. Pati enim nec debemus, nec volumus, ut Ecclesie census novi exactione vexentur.

NOTÆ.

1. (a) **L**ucus III. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex: ex ipsa autem secunda collectione textum hunc transcribo.

Electus fuisset.] Præsentatus videlicet, juxta tradita in cap. 1. de capell. monach.

(b) *Corporealiter sacramentum.*] De hac forma juramenti egi in cap. final. de juram. calumn.

(c) *Bathanen.*] Bathna, seu Bathana Ecclesia Episcopalis erat in provincia Osrhoëna, sub Patriarcha Antiocheno, cujus Episcopus Abrahamus subscripsit Concilio Constantinop. quinto generali, ut refert Carolus à sancto Paulo in *Geograph. sacr. fol. 303.*

(d) *Constaret.*] Quia non erat ita diuturnum tempus elapsum, ut talem licentiam præcessisse præsumeretur, ut docuit Gilkenius de *prescrip. 2. p. membr. 1. cap. 5.*

(e) *Juramento absoluant.*] Juxta tradita in cap. 1. cap. debitores, de jurejur.

CAPUT XIV.

Idem (a) *Ravennat. Episcopo.*

Sopita judicio Sedis Ap. quæstiones scripto ad memoriam perpetuam commendantur, ne per oblivionem processu temporis valeant fuscitari. Ut autem habeat majorem sententia fortitudinem, Apostolici scripti munimine roboratur. Sanè cum inter te, & monasteria Bonon. tam monachorum, quam monialium, super procuracionibus, quas ab eis exegeras, controversia verteretur, causam ven. f. n. H. Atinien. (b) Episcopo commissum audiendam. Postmodum verò dilectus fil. N. Abbas sancti (c) Proculi aliorum omnium Procurator, sicut ex literis, quas portavit, apparuit, & ipse in manu Episcopi jam dicti datâ fide firmavit, coram nobis, & fratribus nostris pro omnibus aliis monachis, sancti Damiani, & sancti Bartholomæi exceptis, qui super hoc quæstionem minimè referebant, diutius litigavit. Verùm nulla pro parte sua privilegia Romanæ Ecclesiæ, vel Ravennat. exhibuit, nec ostendit longâ consuetudine se munitum: sed tu firmiter ipsas in aliis monasteriis tuæ provinciæ asserens sine contradictione præstari, eas prædecessoribus tuis, in monasteriis Bonon. exhibitas, per testes idoneos probavisti. Inde utique fuit, quod deliberatione cum fratribus habitâ, vidimus intentionem tuam jure communi, & prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari. Eapropter tuis iustis petitionibus annuentes, monasteria suprascripta de communi consensu fratrum condemnavimus ad procuracionem, secundum facultates eorum tibi, tuisque successoribus exhibendam; & adjudicantes eam vobis in jam dictis Ecclesiis & monasteriis universis, sententiam, quam protulimus, nostrâ duximus, & fratrum nostrorum subscriptionibus roborandam.

NOTÆ.

1. (a) **R**avennat.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & supplendum est, *Gerardo*, cui rescribit Lucius in præsentem, ut de eo agens præsentis litis historiam refert Rubeus lib. 6. *hisor. Ravenn. fol. 356.* in hæc verba: [In sequenti anno postquam diu litigatum apud Pontificem, & Cardinales fuerat, ab eodem Pontifice decretum etiam est, uti Bononiensia, tam monachorum, quam sacrarum virginum cœnobîa, extra D. Bartholomæi, ac

Damiani, certam pensionem quotannis procuracionis nomine Archiepiscopis Ravennatibus persolverent: cum D. Proculi Abbas cæterorum cœnobiorum Procurator nihil pro Bononiensibus, quod satis urgeret, apud Henricum Albanum Episcopum, cui Pontifex causam mandaverat cognoscendam, attulisset. Literæ extant hæc de te Pontificiæ III. Non. Jan. Veronæ datæ.]

(b) *H. Atinien.*] Legendum est *Henrico Albanensi*, ut ex Rubeo proximè relato constat. Henricus hic de Castromarfiaco, natione Gallicus, Abbas Clareval. ab Alexandro III. in vultu consecratus est Episcopus, & Cardinalis Albanensis, ut refert Ughellius tom. 1. *Ital. sacr. fol. 294. num. 36.*

(c) *Sancti Proculi.*] De quo monasterio nonnulla notavi in cap. 1. ut *lite non contest.*

COMMENTARIUM.

Archiepiscopum non solum Ecclesias suæ Diocæsis, verùm & subjectas suffraganeis suis, tam sæculares, quam regulares visitare posse, in hoc textu supponitur & probatur in cap. *cum ex officio, de prescrip.* ubi cum agat Innocentius de Senonensi Archiepiscopo, ait: *Cum ex officio sui debito Senonensem provinciam visitaret.* Et ex cap. *cum nuper, hoc titulo* ubi Gregorius IX. confirmaturum se dicit excom-

excommunicationis sententiam, quam in eos ferret Beneventanus Archiepiscopus, qui ipsi visitanti provinciam suam procuracionem ratione visitationis debitam perolvere nollent. Et Innocentius IV. in cap. 1. Bonifacius VII. in cap. final. hoc tit. lib. 6. prescribunt formam servandam ab Archiepiscopo, dum visitat Ecclesias suffraganeorum suorum: & in cap. cum ex eos cap. nostro, de penit. & remiss. supponitur, Archiepiscopo, dum visitat provinciam suam, posse confessiones iudiciorum suffraganeorum audire. Unde Ivo Carnot. epist. 182. Dainbertum Archiepiscopum suum Senonensem orat, ut Ecclesiam Carnotensem visitaret, ut de excessibus quorundam Clericorum plenius instrueretur, eosque corrigere posset. Et Gregorius IX. in cap. penult. de arbitr. Abbatissa Jotrensi scribens statuit, quod cum quaestio olim suborta esset inter Archiepiscopum Senonensem ex una parte, & monasterium Jotrense ex altera, super eo, quod idem Archiepiscopus assererat monasterium illud Metropolitico iure sibi parere, procuracionesque ab eo pro visitatione exigeret, & compromissum inter eos factum fuisset, illum ratum habuit. Idem etiam deducitur ex epistola 76. Stephani Tornacensis; & hanc potestatem visitandi propriam Provinciam in Archiepiscopis agnoscunt Marianus de visitat. num. 7. vers. 3. Riccius de praemin. Archiepiscop. privit. 16. Caesar de Eccles. Hierarch. disp. 5. §. 2.

4. Contrarium tamen, immò Metropolitanum tantum jus habere visitandi propriam Metropolitim, quando suffraganeus negligens est, & ita ob ejus negligentiam devolvit jus visitandi ad Archiepiscopum, docuit Glossa verbo *Metropolitani*, in cap. 9. quaest. 3. pro cuius sententia facit idem textus, ibi: *Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullusque reliquorum Episcoporum alterius adeat civitatem, aut ad possessionem accedat, que ad eum non pertinet, & alterius est parochia, nisi vocatus ab eo, cuius juris esse dignoscitur, aut quicquam ibi disponat, vel ordinet, si sui gradus honore potiri voluerit.* Moveri etiam poterat Glossa auctoritate octavae Synodi sub Hadriano II. *actione 10. can. 19. in edit. Anastas. Biblioth.* quo canone fugiatur avaritia Metropolitanorum, qui sub obsequio visitationis proficiebantur ad Ecclesias

suffraganeorum suorum, & indebitas procuraciones exigebant; *Universim siquidem definit hec Synodus, nullum Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, & potestate propria in inferiores abuti, & consumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad Ecclesiasticam dispositionem, & alimenta pauperum: & excepta hospitalitate, qua ex necessario transitu accesserit, iterum nihil aut exigere, aut recipere ex iis, que sunt Ecclesie, vel suffraganei.* Nam videtur illis in verbis Synodus jus visitationis faciendae, aut procuracionis pretextu visitationis exigendae Metropolitanis omnino denegasse: & sanè similis visitationis rara exempla sunt primis Ecclesie saculis: immò Nicolaus I. in epist. ad Radulphum Archiepiscop. Bituric. & Ivo Carnot. epistol. 83. & 85. docent, in vitis Episcopis Provincie Metropolitanum in Ecclesiis provincialium nihil posse: quod & docuit Gratianus in fine 9. quaest. 3. & in dist. cap. cum ex officii, docetur Archiepiscopum Senonensem sententiam excommunicationis protulisse in eos, qui tempore visitationis illi procuraciones denegabant. Igitur quia iure communi attento id facere non poterant. In qua difficultate, immò & iurum antinomiam credo cum Hallerio de Eccles. Hierarch. lib. 4. artic. 4. §. 6. non fuisse solitos Metropolitanos olim integræ alicujus Diocesis suffraganei sui, nisi ob valde gravem causam, visitationem aggredi, sed duntaxat vel invitatos, seu ut scandalo aliquando, vel malo publico occurrerent, ad Ecclesias suffraganeorum accessisse: postea verò ut ordinariæ negligentie suffraganeorum moderamen imponeret Ecclesia, nec tamen illos negligentie notaret, Metropolitanis integram visitationem permisisse; ita tamen temperatâ eorum auctoritate, ut & utilis esse posset, & tamen suffraganeorum Episcoporum auctoritati minimè præjudicaret, sed eam corroboraret potius, quam infirmaret: tandem Concil. Trident. eandem facultatem Archiepiscoporum visitandi Ecclesias suffraganeorum, sess. 27. restrinxit, statuens, ut non possint illi provincias eorum visitare, nisi causâ cognitâ, & probatâ in Concilio Provinciali.

CAPUT XV.

(a) Clemens III.

Gravis admodum, & correctione dignissima nuper quærela in audientia est nostra proposita, quod salvâ conscientia sub dissimulatione transire non possumus. Cum enim Ecclesiasticæ personæ Ecclesias quamplures in Simón. Diocesi habeant, cum eas vacare contigerit, non aliter quæquam ad ipsarum regimen volunt vocare, nisi aut novum censum in Ecclesiis illis imponant, aut veterem contra constitutionem Concilii (b) Lateran. augmentent; ad ipsius solutionem instituentium presbyterum juratoriâ quandoque, vel fidejussoriâ cautione cogentes: quandam etiam partem suis usibus reddituum applicare contendunt, unde sæpè contingit, ut diocæsano Episcopo excessus hujusmodi ignorante, vel eo minimè requisito, in Ecclesiis illis inducant pro suæ voluntatis arbitrio sacerdotes.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Zzz 3

Quo.

Quoniam igitur prædictas constitutiones Concilii pati nolumus, neque debemus aliquorum injuriâ violari, disc. v. per A. f. m. quat. cum super hoc fueritis requisiti, partibus ad vestram præsentiam convocatis, quæcunque noveritis contra constitutionem prædictam super Ecclesiis illis, vel earum censu ab aliquibus à tempore constitutionis attentata, contradictione, & ap. cess. in irritum revocantes, ab augmentatione censuum Ecclesiarum penitus absolvatis, & ad statum debitum reducat: presbyteros, quos super his juramenta illicita præstitisse noveritis, congruâ satisfactione impositâ, facientes absolvi, eos etiam, quos de cætero contra formam canonum super his venire noveritis, sine cujuscunque personæ acceptione, sub. ap. ob. censurâ canonicâ puniatis.

NOTÆ.

1. (a) **Clemens III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex.
2. (b) **Lateran. augmentent.**] Ex his verbis aperte deducitur, in Concilio Lateran. relato in cap.

prohibemus, hoc titul. non fuisse aliquid noviter statutum circa novi census impositionem, quia jam illud veteribus canonibus, quos congesti pro confirmatione illius textus, prohibitum erat; sed tantum circa augmentum census jam impositi; & in hac parte novum jus ibi statuitur deinceps observandum. Commentarium hujus textus dedit in eo textu.

CAPUT XVI.

Innocentius III. *Abbati, & Conventui (a) Bellavilla.*

Quantò Creatori vestro sub Religionis habitu adstricti estis, tantò sollicitius nos convenit providere, ne per immoderati oneris gravitatem aliquatenus possit in vobis monastici profectus ordinis impediri. Accepimus autem, vobis significantibus, quod ab ipso domus vestræ foundationis primordio de fundatoris voluntate processit, ut fratribus sancti Hirenzi procurationem unam annis singulis liberaliter exhiberetis, cum terras, vel redditus non teneatis ab eis, propter quos hujusmodi procuratio ipsis debeat exhiberi. Verùm tunc temporis propter fratrum, & servientium paucitatem domum vestram exhibita procuratio non gravabat, cum fines levium non excederet expensarum: sed nunc tantum ibi excrevit numerus servitorum, & fratrum, quod ad faciendam procurationem vix modò quatuor marchæ sufficerent, quæ pro una sufficienter fieri consuevit. Ut igitur per Apostolicæ sollicitudinis curam vestris possit in parte ista gravaminibus provideri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne ultra primam mensuram in procuratione ipsa sitis ulterius prædictis fratribus obligati, sed expensis illis, quæ sufficere consueverant, sint contenti, nisi fortè facultates Ecclesiæ vestræ in tantum excreverint, quod sine gravamine, ampliato fratrum numero, ad solvendum debitum procurandi extendi possit quantitas expensarum. Nulli ergo, &c. Datum, &c.

NOTÆ.

1. (a) **Bellavilla.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & in epistolis ipsius Pontificis editis Colonia, fol. 65. ex quo Codice ita restituo textum hunc. Bellavilla oppidum est juxta Ararim, in regione Bellojocensi, Diocesis Lugdunensis, ut refert Papirius Mafonius in *descript. flum. Gall.* fol. 390. Ab eo nomen accepit monasterium hoc Ordinis D. Augustini, conditum ab Humberto anno 1160. de quo agunt Fratres Sarmath. *tom. 4. Gallia Christ.* fol. 144.

leg. final. Cod. de alluvion. leg. penult. Cod. de omni agro, lib. 11. l. 2. Cod. de fundis rei privatæ, eodem lib. ibi: Unaqueque villa cum eo curæ, cui nunc habetur obnoxia, ad novi domini jura migrabit, ut si quid adjecerit sumptus cura, vel solertia, quicquid mancipiorum, vel pecoris accreverit, capitationis, aut canonis augmentum non patiatur, sed solis dominis, hereditibusve minorum sit cessura felicitas. Et lege si mercus 27. §. via major, ff. locati: faciunt textus in l. 1. Cod. in quibus causis coloni, lib. 11. leg. cum satis 23. §. 1. vers. caveant, Cod. de agricolis, lib. 11. Docent Valascus de jure emphyt. quest. 16. num. 7. & quest. 27. in fine, aliis relatis Amaya in l. 4. Cod. de annonis & tribut. & in l. unic. C. de collat. duntaxat. num. 16. Rodriguez de annuis reddit. lib. 1. quest. 12. ex num. 9. & nos in cap. præter, de locat. Ratio

COMMENTARIUM.

2. **C**ertum est, auctis fructibus locati prædii census debentis non augeri pensionem ipsius,

Ratio est, quia debet attendi æstimatio rei juxta tempus, quo onus, seu tributum imponitur à contrahentibus, vel testatore, *l. uxorem 41. §. testamento 4. l. nomen, §. filio, l. testatorem 68. §. prædis, Digest. de legat. 2. l. si ita 7. Digest. de auro & argent. l. Aurelius 28. §. 1. l. final. §. 1. ff. de liberat. legat.* Menochius de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 127. num. 1. & quamvis augeantur res, in quibus onera imposita sunt, non debet id cedere in damnum ejus, qui ad solutionem oneris, vel pensionis urgetur, cum potuerit legem apertius dicere, qui onus imposuit, *l. quicquid 99. Digest. de P. O.* & in id, quod præsens erat, magis consensisse contrahentes verosimilius est, quam in id, quod futurum, & incertum erat, *l. si ita 7. Digest. de auro & argent.* Accedit, quod nullum præjudicium sequitur illi, qui pensionem percipit ex augmento provenientem, imò majori securitate gaudet, ut solutio debita pensionis illi fiat: Quare æquum est, ut debitor DEI beneficio augmentum habeat, argumento legis unice, *Cod. de thesaur. lib. 10.* Tandem quia pensionis nomine aliquid amplius, quam convenerit, repositi non debet, *l. legem 16. Cod. locati*: unde rectè agebat Paterfamilias, de quo in Evangelio: *Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum?* Ex quibus valde difficilis redditur prior pars præsentis Decisionis, ubi jubetur, quod si augeatur numerus fratrum, & servitium monasterii sancti Hirenæi, à fratribus Bellavillæ majorem procurationem, id est cum amplioribus expensis, præstandam esse, cum potius attendi deberet tempus contractus; & ita non rectè Innocentius affirmat, teneri fratres ipsius monaste-

rii omnibus fratribus sancti Hirenæi procurationem dare, si absque præjudicio facere possint, cum inde sequatur ex augmento proventuum conventus Bellavillæ augeri Procurationem præstandam fratribus sancti Hirenæi. Agnovit difficultatem D. Franc. de Amaya ubi supra, num. 31. juxta cujus mentem dicendum est, in præsentis casu procurationis obligationem indefinitam, & indeterminatam esse, videlicet omnibus fratribus monasterii sancti Hirenæi; non tamen fuisse impositam certo prædio, & fructibus ex tali fundo percipiendis. Unde videbatur, aucto numero fratrum S. Hirenæi procurationem omnibus esse præstandam, cum certus numerus eorum à Patrono expressus non esset; & sicut poterat augeri numerus, ita & diminui, & ita fratres Bellavillæ minorem procurationem solvendo liberarentur: sed quia auctis supra modum fratribus sancti Hirenæi, & eorum servitoribus, talis obligatio damnosa valde esse cæperat conventui Bellavillæ, ideo tunc restricta fuit, ita ut juxta antiquam formam tantum pensio solveretur, argumento capitis dilecti 8. cum sequent. de Decimis. Sed quia auctis proventibus ipsius conventus Bellavillæ hæc ratio æquitate, quæ diminutionem procurationis induxit, cessavit; ideo jubet Innocentius III. in præsentis, ut eo casu omnibus fratribus, & eorum servitoribus sancti Hirenæi, fratres Bellavillæ procurationem persolvant, quia non est ratio, quare juxta mentem fundatoris omnibus procuratio non debeat. Prosequitur Amaya ubi supra, qui ex hac doctrina plura in praxi utilia resolvit.

CAPUT XVII.

Idem Primicerio, & Clero (a) Mediol.

Cum instantia nostra quotidiana sit secundum debitum Apostolicæ servitutis, omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, quoties ipsarum negotiis promovendis non possumus personaliter imminere, per fratres nostros ea expedire compellimur, quos à nostro latere destinamus: illius exemplum in hac parte secuti, qui discipulis suis in mundum universum transmisit, ipse in medio terræ salutem fuit personaliter operatus. Hinc est, quod cum nuper dilectum filium B. tituli sancti Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem (b) Apostolicæ Sedis Legatum pro negotiis Ecclesiæ in Longobardiam duxerimus destinandum; & in civitatem vestram ingressus, procurationes à vobis exigeret, quæ consueverunt Apostolicæ Sedis Legatis, & Nunciis exhiberi: vos non attendentes, quod dicitur ab Apostolo: Si vobis spiritualia seminavimus, non est magnum, si carnalia vestra metamus: ne vos ad onus procurationis arctaret, nisi à Canonicis majoris Ecclesiæ se faceret antea procurari, Sedem Apostolicam appellastis: & sicut idem Cardinalis per suas nobis litteras intimavit, in aliis etiam non modicum ei injuriosi fuistis. Propter quod dilecti filii Præpositus S. Nazarii, & A. Canonicus sancti Stephani Syndici, & Procuratores vestri, cum dilecto filio Abbate sancti Vincentii ad Sedem Apostolicam venientes, ut super his statueremus ordinem, & mensuram, ex parte vestra suppliciter postulabant. Licet autem pro eo, quod prædicto Cardinali, vel potius nobis in ipso contumaciter resistentes; juxta verbum Dominicum: Qui vos recipit, me recipit; & qui vos spernit, me spernit: necessaria denegatis, non pro vobis, sed contra vos potius meruerint exaudiri; quia tamen paternam affectionem, quæ nobis est proprium de Romanæ Sedis clementia misereri semper, & parcere, quam offensi etiam deponere non valeamus, de consilio fratrum nostrorum taliter in hujusmodi duximus respondendum. Quod cum omnes Ecclesiæ Legatis, & Nunciis Apostolicæ Sedis procurationes impendere te-

neantur, ab earum præstatione nullam prorsus volumus haberi excusationem, nisi forte per speciale privilegium Sedis Apostolicæ (quod non credimus) sit exempta, etiam si longissimo tempore procuracionis obsequium non impenderit: cum in talibus (c) præscriptio sibi locum nequeat vindicare, cum nos à provisione pastoralis sollicitudinis circa omnes Ecclesias nunquam omnino cessemus. Sanè in his exigendis eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia, vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Si verò de communi collecta Legatorum, & nunciorum nostrorum duxeritis faciendas expensas, quod vobis non duximus inhibendum, ex hoc nobis, & nostris nullum præjudicium volumus generari, quo minus possint, à quocumque maluerint, procuraciones sibi debitas postulare, ita quod si exactus ultra suam gravatus fuerit facultatem, sibi ab aliis restauretur. Nunciis tamen nostris necessariis exhibendis pateat, quicumque fuerit requisitus humiliter, & devotè: ita tamen, quod in fraudem nihil penitus attentetur, nec per communes ministros ad procuracionis obsequium, si noluerint, recidere compellantur. Qui verò contumaciter eis duxerit resistendum, omni prorsus appellatione remotà per ecclesiasticæ distributionis sententiam compescatur. Super injuriis autem dicto Card. irrogatis volumus, & mandamus, quatenus ei satisfactionem congruam impendatis, ad quam, si forte contempseritis exhibere, ipse vos appellatione remotà compellat. Datum Later. XII. Kal. Martii.

NOTÆ.

- I. (a) **M**ediolan.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titul. cap. 2. & in epistolis Innocent. Colonia editis, fol. 263. ex quo Codice ita restituo litteram hujus textus. De Primicerio egi in cap. unic. de offic. Primic. & de Me-

diolanensi Ecclesia nonnulla notavi in cap. adeo 27. de rescript.

(b) *Apostolica Sedis Legati.*] A latere missi, juxta tradita in c. cum Apostolus hoc tit. ubi textum hunc exposui: & in cap. accedentibus, de prescript.

(c) *Prescriptio.*] Juxta tradita in cap. cum ex officio, de prescript.

CAPUT XVIII.

Idem (a) Zamoren. (b) Salmantin. (c) Episcopo.

EX parte ven. f. n. P. (d) Compostell. Archiepiscopi fuit propositum coram nobis, quod cum ii, qui vota B. Jacobi continuè persolverunt, ad communem terræ suæ (e) mensuram, cum qua videlicet emunt, & vendunt, ipsa persolverint hætenus, & persolvant, quidam, qui à (f) longis retrò temporibus ab eorum solutione cessarunt, nunc per vos Ap. Sed. auctoritate ad solutionem eorundem coacti, quandam mensuram (g) parvissimam, & ignotam, nec etiam communibus usibus deputatam exhibent, & ad eandem vota prædicta solvere moliantur: unde (h) postulastis à nobis, ut super hoc vos certos reddere dignaremur, utrum ii, qui mensuram ignotam exhibent ad solvendum vota prædicta, sint ad communem suæ terræ mensuram, secundum quod illi, qui eam persolverunt, continuè faciunt, cogendi. Cum ergo non constet, ad quam mensuram antecessores eorum prædicta vota solverunt, credimus distinguendum, utrum habitatores regionis ipsius, qui ea continuè persolverunt, ad unam, & eandem mensuram hujusmodi vota persolvant, an ad varias, & diversas. Si enim communiter omnes una, & eadem mensura in solutione votorum utuntur, ad eandem & illi solvere sunt cogendi: quod si solutio per mensuras distinguitur varias, & diversas, & illi volunt solvere ad minorem, non sunt utique compellendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignitas sunt à viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores nimium videantur lucris temporalibus inhiare.

NOTÆ.

- I. (a) **Z**amoren.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. c. 3. id est Petro Episc. Zamor. de quo & ejus Diocesi egi in cap. dilectus 5. de supplend. neglig.
(b) *Salmantin.*] Salmanticæ antiquitatem inde haurire possumus, quod Ptolomæus verustissi-

mus Geographus ejus meminit in Veronibus ad confinia Lusitanæ. Polienus etiam in lib. de stragetem. Sub Gothis Regibus civitas Episcopalis fuit, cujus Metropolis Emerita. Post devolutionem Hispaniæ per Mauros factam, & post recuperationem illius Provinciæ ab eorum manibus Regno Legionensi cessit, & dignitati Episcopali restituta paret Compostellano Archiepiscopo.

ut notavi in cap. 5. de supplenda. Sed quod sine invidia dixerim, si Hispanis historiis fidem facimus, ex eo tempore incrementum maximum Salmantica accepit, ex quo liberalitas Alfonso IX. ejusque filii Ferdinandi III. nepotisque Alfonso X. egregiam, inclytam, & omnibus titulis nobilissimam Universitatem nostram construxit, ditavitque; ex qua toto orbi Hispano lux sapientiae fulgere incepit, tali indies incremento, ut Studium generale Alex. IV. Pontifex eam creaverit: & Clemens V. inter reliqua generalia enumeraverit in *Clem. unica de Magistris*. In ejus laudes divagantur nonnumquam Auctores nostri Regni, verum exteri. Extat & celeberrimum encomium sacrae Rotae apud Franciscum Penam 1. tom. decis. 157. Videndi sunt congesti à Solorzano in *lib. de Plazas honorarias*, P. Mendo *lib. 1. de jure Academ. ex num. 127.*

2. (c) *Episcopis.*] Petro Zamorensi, & Vitali Salmantino, quorum tempore celebratum fuit Concil. Salmantinum 2. Praeside Card. n. Guillelmo tituli sancti Angeli, ad dissolvendum matrimonium contractum inter D. Alfonso IX. Theresiamque: & quia Vitalis in ea Synodo adhaesit Regi, Innocentius *lib. 2. epistol. 72.* rescribens Archiepiscopo Compostellano ita ait: *Si verò aliquis vestrum, fratres Episcopi, in hoc deliquit, excepto Salmantino, cujus correctionem Sedi Apostolica reservamus, tu frater Archiepiscopo animadversione ipsum canonicè non differas castigare.* Hujus epistolae, seu alterius, super eadem votorum solutione meminit idem Innocentius in duabus epistolis, quatum prior missa est Tolet. & Bracharen. Archiepiscopis, & Suffraganeis eorum Auriens. & Legionens. Episcopis. Secunda verò dirigitur Magistris, & Fratibus Spataris, & Religiosis per Hispaniam constitutis, quas edidit Cardinalis Silesius *fol. 361.* quarum tenorem in praesenti transcribere necessarium duxi ad comprobendam ipsius voti obligationem, & antiquitatem, quam nostris temporibus quidam audenter negare non erubescunt, levibus ducti fundamentis, quos cum tanto Patrono feliciter debellavit quidam Advocatus Piacianus, seu quivis auctor est allegationis pro Archiepiscopo & Ecclesia Metropolit. D. Jacobi contra Lazarum Gonzalez de Azevedo. In prima epistola ita scribit Innocentius: [Querelam venerabilis fratris nostri P. Archiepiscopi Compostellani accepimus, quod ejus Ecclesiae ad mandatum etiam Apostolicum vota beati Jacobi à Parochianis vestris non facitis, sicut debentur, exsolvi. Quoniam igitur ad servanda jura praescriptae Ecclesiae non decet vos existere negligentes, fraternitati vestrae per A. f. p. m. atque praecipimus, quatenus memorato Archiepiscopo, & Ecclesiae suae praescripta vota à parochianis vestris solvere de cetero faciatis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Zamoren. & Salmantins. Episcopis datum noveritis in mandatis, ut Parochianos vestros ad vota illa solvenda, sublato appellationis obstaculo, eccl. districtione compellant. Vos itaque sententiam, quam iidem Episcopi, vel eorum alter in eos propter hoc rationabiliter tulerint, usque ad dignam satisfactionem denunciari faciatis, & inviolabiliter observetis. Datum Lateran. II. Idus Julii.] In secunda verò ita rescribit: [Ad audientiam Apostolatus nostri transmissa conquectione Ecclesiae Compostellanae pervenit, quod cum per totam

ferè Hispaniam auctoritate Principum, & Praetorum favore, etiam Clerici, & populi Ecclesiae beati Jacobi, ob reverentiam ipsius Apostoli census quidam certus, qui vota dicitur, de singulis paribus boum antiquitus fuerit constitutus, plerique vestrum de terris vestris & hominum vestrorum eundem censum praescriptae Ecclesiae pro sua tantum voluntate solvere contradicunt. Verum quia valde periculosum est quibuslibet aliena tenere, nedum viris religiosis, qui perfectionis amore propria dimiserunt, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus censum ipsum, secundum quod antiquitus statutus est, eidem Ecclesiae cum integritate solvatis. Ceterum si (quod non credimus) mandatum Apostolicum in hac parte duxeritis contemnendum, noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Salmant. & Zamoren. Episcopis mandavisse, ut ad id per interdicti, & excommunicationis sententiam, sublata appellationis difficultate, sicut visum fuerit, vos compellant. Datum Lateran. VI. Idus Julii.]

(d) *P. Compostellani Archiepiscopi.*] Petri videlicet.

(e) *Mensuram.*] Quam vulgò dicimus *media fanega*, ut expressum fuit in Comitibus habitis Valisoleti anno 1537. petitione 37. ibi: *Por privilegio antiguo, que todos los jugueros, que labran con juntas de vneyes, y mulas, an de pagar a la Iglesia de san Tiago media banega de trigo de voto.* Quae mensura satis expressa fuit in ipso voto illis verbis: *Quatenus de unoquoque jugo boum singula mensura de meliori fruge, admodum primitiarum.* Unde cum mensura, quae pro primitiis solvitur in his Regnis, sit *media fanega*, etiam juxta eandem mensuram voti obligatio procedit.

(f) *Alongis retrò temporibus.*] Qui non ideo erant exempti ab hac obligatione; nam contra eam nulla praescriptio etiam immemorialis currit; quod praeterquam decisum est à Caelestino III. nostri Innocentii praedecessore, in bulla expedita anno 1195. illis verbis: *Pagina praesenti statuimus, ut cum in lege contineatur humana, quod in tributis & publicis functionibus nulla praescriptio locum obtineat, & illa vota sunt quasi tributa, quae Deo, & beato Jacobo Apostolo in Hispania statuit annis singulis persolvenda Rex Ranimirus, illa quae tibi & Ecclesia tua in eis praescriptio objicitur, locum non habeat, aut vigorem; id etiam juris rationibus probatur, quia contra votum nulla praescriptio currit, cap. sicut, de regul. Gregorius Lopez in leg. 30. tit. 7. part. 1. quia est nutritiva peccati, aut saltem irrationabilis. Sylvester verbo *Votum 2. num. 10.* Navarrus in *manuali, cap. 12. num. 26.* late hanc sententiam probat Pereyra de *manu Regia, tom. 1.* Quatenus tamen successores eorum, qui votum emiserunt, teneantur illud adimplere, exposui in *capit. ex parte, de constit.**

(g) *Parvissimam.*] Unde proptus inanis reddatur voti obligatio, sicut cum furtus promittitur, aut legatur; ideo enim tale legatum non valet, quia haeres glebam dando liberatur; & similiter triticum stipulando, inutilis est stipulatio, *l. ubi autem 75. l. triticum, ff. de V. O.* Quare in praesenti voto adjecta fuit mensura, quae pro primitiis in Hispania solvi solebat.

(h) *Postulastis à nobis.*] Episcopi videlicet regni Legionensis, Zamorensis scilicet, & Salmantinus, qui consuluerunt Romanum Pontificem de obligatione

obligatione hujus voti, & ejus solutione; quia cognitio causarum hujus voti ad Judicem Ecclesiasticum spectat, ut probat doctus Pereyra de manu regia, tom. 1. cap. 14. ubi resolvit, nec per viam violentiæ judicem secularem adire posse; immò & noster Innocentius huic Petro Compofstel. Archiepiscopo specialiter concessit, ut debitores hujus voti coram Rege Legionensi convenire possent, in epistola, quæ reperitur inter editas Coloniae, fol. 360. in hæc verba: [Cum sit regula juris, quæ dicitur, ut actor forum rei sequatur, preces ex parte tua nobis super hoc obtinendo potestatas, libenter admittimus, quod tam Canoni, quam legali consonant æquitati; maxime cum id, quod petis in favorem beati Jacobi & Compofstellanæ Ecclesiæ debeat adimpleri. Innotuit siquidem nobis, quod quidam laici rustici de regno Illustr. Regis Legionen. super votis beato Jacobo persolvendis nolunt in præsentia ipsius Regis, qui ordinarius Judex eorum existit, quando conveniuntur, aliquatenus respondere. Unde petitioni tuæ gratum præstando assensum, ad exemplar felicitis record. Cælestini Papæ prædec. n. fraternitati tuæ præsentem paginam indulgemus, ut tibi liceat rusticos ipsos, tanquam votorum debitores, sub examine prædicti Regis, quandoquidem tibi aliis eorundem votorum solutio debita denegatur, super eisdem votis, remoto cujuslibet appellationis, vel contradictionis obstaculo convenire. Decernimus ergo, &c. Datum Lateran. III. Idus Julii.]

COMMENTARIUM.

70. (a) Antequam ad hujus textus expositionem accedamus, referenda est hujus voti historia, quam in dubium revocarunt Julianus del Castillo lib. 3. hist. Gothor. discurs. 8. Lobera in las grandezas de Leon, cap. 5. ad finem, Prudentius à Sandoval, in hist. monast. S. Emiliani, §. 36. & voti ipsius chartam totis viribus evertere conatur Lazarus Gonzalez de Azevedo in alleg. pro oppidis, & villis Regni Legionensis; sed infeliciter, ut ex infra dicendis apparebit. Cum ergo Rex Ramirus I. turpissimum tributum centum puellarum Regi Maurorum Abderrameno præstari renueret, per ipsum in Ribogiam Barbarorum dominio subjacentem irruptio facta est. Abderrameno bello, & armis penitus intentus, innumerabili exercitu collato, Ribogiam advolat, castra castris collata sunt ad oppidum Alvedam, planities ferè ad Clavijum continuata, loco in cacumine sito rupis Turcicæ: atrox, & sæva pugna utrimque fuit, victoriâ in Mauros nimium inclinante, quo minus vincerentur nostri, nox fecit, tenebras pro muro opponens Maurorum ictibus. Ramirus imminutas numero copias, fatigatas, ac debiles, ad Clavijum traduxit, ubi pro temporis angustiis munito loco, & vulneratis curâ adhibitâ, noctem insomnem, dubium an pervigilem, inter spem metumque transiit. Summo manè beatus Jacobus illi apparuit, & vultu placido Regem sperare jubet, ipsum victorem fore, Barbaros vincendos, seque suis Hispanis affuturum in eo bello. Ramirus excitatus Præsules, Ducesque vocari facit, & Jacobi promissis certior redditus, instruere acies, irruere in hostes, & Christi inimicos jussit: stetit dictis gloriosus Apostolus, & in ipsa acie visibiliter apparuit equo insidens, Mauros sternens, pro no-

stris pugnans; inde Hymnus in his Apostoli festivitibus cani solitus;

Tu, bella nos cum cingerent,
Es visus ipso in pralio,
Ense quoque acerrimus,
Mauros furens sternere.

In eo pralio septuaginta millia Barbarorum cecidisse Historici testantur, præter alios, qui fugæ lapsi sunt incerto numero; vestigia hujus belli hodie etiam invisibile apud Clavijum Mariana testatur, effossis passim stragibus armorum per ruricolos oppidanos illius loci; nos sacratiora annotavimus vestigia sancti Jacobi insignè referentia, vulgaria incolis, sed fortè ideo minus observata, quia vulgaria. Vix ullus lapis in eo loco reperitur, qui non concluse formam præferat, veneras, vernacula lingua Hispani dicimus. Et quod mireris, si in partes comminatur, tot conclulas formabit, quot partes feceris. Rex insigni victoriâ lætus descendit è rupe, antrum sancti Prudentis devotus visitat, DEO, & Apostolo ejus gratias agit, & in eo sancti Prudentii templo cum Prælati, Regique Proceribus votum emittit, quo universam Hispaniam sancto Jacobo fecit vestigalem è singulis jugeris agri, vineæque menliâ, ad modum primitiarum singulis annis persolvendâ: sed causam, & votum ipsum ab ipso Rege audiamus: ita pluribus exemplaribus ex ipso originali transcriptis publicè legitur: [In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Antecessorum facta (per quæ successores ad bonum poterunt erudiri) non sunt prætereunda sub silentio, verum potius debent committi monumentis litterarum, ut eorum recordatione ad imitationem bonæ operationis invitentur. Eapropter ego Ranemirus Rex, & à DEO mihi conjuncta Urraca Regina, cum filio nostro Rege Ordonio, & fratre meo Rege Garcia, oblationem nostram, quam gloriosissimo Apostolo Dei Jacobo fecimus, cum assensu Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & nostrorum Principum, & omnium Hispaniæ Christianorum, committimus observationi: ne fortè successores nostri, quod à nobis factum est, per ignorantiam tentent irrumperè; & etiam per recordationem nostræ operationis ad similitur operandum moveantur. Causas, quibus ad faciendum istam oblationem compulsi sumus, scribimus, ut ad notitiam successorum referentur in posterum. Fuerunt enim in antiquis temporibus (circa destructionem Hispaniæ à Saracenis factam Rege Roderico dominante) quidam nostri antecessores pigri, negligentes, desides, & inertes Christianorum Principes, quorum utique vita nulli fidelium stat imitanda: hi (quod relatione non est dignum) ne Saracenum infestationibus inquietarentur, constituerunt eis nefandos redditus annuatim persolvendos, centum videlicet puellas excellentissimæ pulchritudinis, quinquaginta de nobilioribus, quinquaginta verò de plebe. Proh dolor! & exemplum posteris non observandum, pro pactione pacis temporalis & transitorie tradebatur captiva Christianitas luxuriæ Saracenum explenda. Et prædictorum Principum semine nos producti, ex quo per DEI misericordiam Regni suscepimus gubernaculum, divinâ inspirante bonitate prædicta nostræ gentis opprobria cogitavimus abolere, ac de tam digna cogitatione persicienda commi-

communicavimus consilium Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & religiosis viris; postmodum vero universis nostri Regni Principibus. Accepto tandem sano, & salubri consilio, dedimus apud Legionem legem populis, & posuimus consuetudines per universas nostri Regni provincias observandas. Deinde universis nostri Regni Principibus edictum commune dedimus, quatenus quosque robustos, & ad præliandum fortes viros, tam nobiles, quam ignobiles; tam equites, quam pedites ab extremis nostri Regni finibus evocarent; & usque ad constitutum diem expeditionem facerent congregare. Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & religiosos viros, ut interessent, rogavimus, quatenus eorum orationibus nostrorum per DEI misericordiam augmentaretur fortitudo. Completum est itaque imperium nostrum: & relictis ad excolendas terras tantummodo debilibus; & ad bellandum minus idoneis; congregati sunt cæteri, non de nostro imperio, sicut solent inviti, sed DEO ducente per DEI amorem spontanei. Cum his ego Rex Ranemirus (de misericordia DEI potius, quam de gentis nostræ multitudine confidens) peragratis interjacentibus terris, iter mei exitus direxi in Naxaram, ac deinde declinavi in locum, qui nuncupatur *Albella*. Interim autem Saraceni nostrum adventum (sanâ præcone) cognoscentes, omnes cismarini in unum contra nos congregati sunt; transmarinis etiam per litteras, & nuncios in suum auxilium convocatis, invaserunt nos multitudine gravi, & in manu valida. Quid plura? quod sine lachrymis non recordaremur, peccatis exigentibus, multis ex nostris corruentibus, percussis, & vulneratis, conversi sumus in fugam: & confusi pervenimus in collem, qui Clavijium nominatur, ac ibi in una mole congregati, totam ferè noctem in lachrymis & orationibus consumpsimus, ignorantes ex toto, quid in die essemus postea acturi. Interea somnus atripuit me Regem Ranemirum cogitantem multa, & anxium de periculo gentis Christianæ. At mihi dormienti B. Jacobus Hispaniarum protector corporali specie est se præsentare dignatus. Quem cum interrogassem cum admiratione, quisnam esset? Apostolum Dei beatum Jacobum se esse confessus est: cum ad hoc verbum ultra quàm dici potest, obstupissem, beatus Apostolus ait: Nunquid ignorabas, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS alias Provincias alijs fratribus meis Apostolis distribuens, totam Hispaniam meæ tutelæ per sortem deputasset, & meæ commississet protectioni? & manu propria meam adstringens, confortare (inquit) & esto robustus. Ego enim ero tibi in auxilium, & manè superabis in manu DEI Saracenos, à quibus obsessus es, innumerabilem multitudinem. Multitamen ex tuis, quibus jam parata est æterna requies, sunt instante pugna pro CHRISTI nomine martyrii coronam suscipiuri, & ne super hoc detur locus dubitationi, & vos, & Saraceni videbitis me constanter in albo equo, dealbatâ grandi specie vexillum album deferentem. Summo igitur manè facta peccatorum vestrorum confessione, & acceptâ pœnitentiâ, celebratis Missis, & acceptâ Domini corporis & sanguinis communione, armatâ manu ne dubitetis invadere Saracenos acies, invocato nomine DEI, & meo, & pro certo noveritis, eos in ore gladii rui-

turos. Et his dictis evanuit à conspectu meo visus desiderabilis DEI Apostolus. Ego autem pro tanta & tali visione vehementer è somno excitatus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & religiosis viris seorsim vocatis, quidquid mihi fuerat revelatum, lachrymis, & singultibus, & nimia contritione cordis eodem ordine propalavi. Illi ergo in oratione prius provoluti, Deo & Apostolo pro tam admirabili consolatione gratias egerunt innumeras, ac deinde rem administrare (prout nobis fuerat revelatum) festinavimus. Armatâ itaque, & ordinatâ nostrorum acie venimus cum Saracenis in pugnam: & beatus DEI Apostolus apparuit, sicut promiserat utrisque, insigando, & in pugnam animando nostrorum acies; Saracenos vero turbas impediendo, & diverberando. Quod quam citò nobis apparuit, cognovimus beatissimi Apostoli promissionem impletam, & de tam præclara visione exhilarari, nomen DEI, & Apostoli in magnis vocibus, & nimio cordis affectu invocavimus dicentes: Adjuva nos DEUS, & sancte Jacobe. Quæ quidem invocatio ibi tunc primò facta in Hispania: & per DEI misericordiam non in vanum; eo namque die corruerunt circiter septuaginta millia Saracenos. Tunc etiam everfis eorum munitionibus, eos insequendo, civitatem Calaforam cepimus, & Christianæ religioni subjecimus. Tantum igitur Apostoli miraculum post inopinatam victoriam considerantes, deliberavimus statuere Patrono, & Protectori nostro beatissimo Jacobo donum aliquod in perpetuum mansurum. Statutum ergo per totam Hispaniam, ac in universis partibus Hispaniarum, quascunque DEUS sub Apostoli Jacobi nomine dignaretur à Saracenis liberare, vivimus observandum: Quatenus de unoquoque jugo bouum singulæ mensuræ de meliori fruge ad modum primitiarum, & de vino similiter ad victum Canonicorum in Ecclesia beati Jacobi commemorantium, annuatim ministris ejusdem Ecclesiæ in perpetuum persolvantur. Concessimus etiam, & in perpetuum confirmamus, quod Christiani per totam Hispaniam in singulis expeditionibus, de eo, quod à Saracenis acquisierint, ad mensuram portionis unius militis glorioso Patrono nostro, & Hispaniarum Protectori B. Jacobo fideliter attribuantur. Hæc omnia donativa vota, & oblationes (sicut superius diximus) per juramentum nos omnes Christiani Hispaniæ promissimus annuatim Ecclesiæ beati Jacobi, & damus pro nobis & successoribus nostris canonicè in perpetuum observanda. Petimus ergo, Pater omnipotens, æternæ DEUS, quatenus intercedentibus meritis beati Jacobi, ne memineris Domine iniquitatum nostrarum, sed solativa misericordia nobis profit indignis. Et ea quæ ad honorem tuum beato Jacobo Apostolo tuo dedimus, & offerimus de eis, quæ per te (ipso opitulante) acquisivimus, nobis, & successoribus nostris proficiant ad remedium animarum, & per ejus intercessionem nos recipere digneris cum electis tuis in æterna tabernacula, qui in Trinitate vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen. Vovimus etiam, & in perpetuum statuimus tenendum, quatenus quicumque ex genere nostro, vel aliorum descenderit, semper suum præster auxilium ad prætaxata B. Jacobi Ecclesiæ donativa. Quod si quis ex genere nostro, vel aliorum, ad hoc nostrum testamentum violan-

violandum venerit, vel ad implendum non adjuverit, quisquis ille fuerit, Clericus vel laicus, in inferno cum Juda traditore, & Darhan, & Abiron, quos terra vivos absorbit, damnatur in perpetuum; & filii ejus fiant orphani, & uxor ejus vidua, & regnum ejus temporale accipiat alter, & à communionem corporis & sanguinis Christi fiat alienus; æterni verò regni participatione privetur perenniter. Insuper Regiæ Majestatis, & Ecclesiæ B. Jacobi per medium sex mille libras argenti pendar, & hoc scriptum semper maneat in robore. Nos etiam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, qui illud idem miraculum, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS famulo suo illustri Regi nostro Ranemiro, per Apostolum suum Jacobum dignatus est monstrare, propriis oculis DEO juvante vidimus, prædictum ipsius Regis nostri, & nostrorum, & totius Hispaniæ Christianitatis factum in perpetuum confirmamus, & canonicè sancimus observandum. Si quis ad hoc scriptum, & Ecclesiæ B. Jacobi donativum irumpendum venerit, vel perfolvere renuerit, quisquis ille fuerit, Rex vel Princeps, rusticus, Clericus, vel laicus, eum maledicimus, & excommunicamus, & cum Juda traditore gehennali pœnâ damnamus in perpetuum cruciandum. Hoc idem successores nostri Archiepiscopi, & Episcopi faciant devotè annuatim. Quod si quis renuerit, omnipotentis DEI, Patris, & Filii, & Spiritus sancti auctoritate, & potestate sibi à DEO traditâ reus teneatur. Facta scriptura consolationis, donationis, oblationis hujus in civitate Calaforra noto die octavo Kalend. Junii, æta DCCC LXXII. Ego Rex Ranemirus cum conjuge mea Regina Utraca, & filio nostro Rege Ordonio, & fratre meo Rege Garfia, hoc scriptum, quod fecimus, proprio robore confirmamus.] Firmarunt privilegium hoc Romani Pontifices Paschalis II. Alex. III. Innocentius III. Honor. III. Alex. IV. in suis Bullis, quas refert Castel. in *hist. D. Jacobi*, fol. 254. necnon & Principes seculares, Alfonso VII. anno 1150. ut refert Morales 3. *part. histor. lib. 3. cap. 52. D. Ferdinand. IX. æta 1342. Don Alfonso. XI. & D. Petrus ejus filius, & D. Joannes II. anno 1427. Reges Catholici anno 1478. & referunt innumeri Historici. D. Rodericus Archiep. de rebus Hispan. lib. 4. cap. 13. D. Lucas Tudenis cap. 49. histor. gener. Hispan. 3. part. cap. 11. Frater I. Gil. de Zamora illustrium personarum lit. R. verbo Ramirus I. Episcopus Valentinus 3. part. histor. Hispan. cap. 10. Carthagena in anaceph. cap. 54. Volaterranus lib. 2. Geograph. pag. 27. Balleus in Chron. Hispan. Anno 825. Ambrosius à Morales part. 1. lib. 9. cap. 7. & 3. part. lib. 13. cap. 52. Illelca 1. part. histor. Pontif. lib. 4. fol. 240. Mosen. Diego de Valera in Chron. Hispan. Villegas in vita S. Jacobi, Matmol. in histor. Africa, lib. 2. cap. 22. fol. 109. Garibay in compend. histor. lib. 9. cap. 18. Mariana lib. 7. de rebus Hispan. cap. 13. Taraffa in vita ipsius Ranemiri I. Fr. Alfonso de la Spina in Fortal. fidei, lib. 4. de bello Sarracen. vers. 39. Argot. de Molina lib. 1. nobilitati, c. 106. D. Franc. à Quevedo in perdoctia alleg. pro patronatu D. Jacobi, pag. 187. & 389. Fr. Joannes Maneta histor. Eccles. lib. 1. cap. 7. Villadiego in foro judic. in catal. Regum Hispan. anno 843. Manuel Correa in catalogo ipsorum Regum, in Ranim. I. Modera Monarch. Hispan. cap. 8. Fr. Hieronym.*

Roman. 1. part. Reip. lib. 6. cap. 2. & 2. part. lib. 4. cap. 19. Marinæus Sicul. de rebus Hispan. lib. 7. post princip. Motta lib. 1. Ordinis D. Jacobi, cap. 2. & 5. Rocamora in catal. Regum Hispan. num. 244. Guardiola in nobilit. Hispan. cap. 34. Beuter. lib. 1. histor. cap. 31. Salinas in histor. belli Clavij. Castel. Ferret. in histor. D. Jacobi. Yepes in Chron. D. Benedicti, cent. 1. anno 1181. cap. 7. qui refert aliam scripturam similis voti facti à Comite Ferdinand. Gonzalez D. Emiliano, ubi ait, se votum illud nuncupare ad similitudinem voti concepti à Ranemiro. Illustr. Manrique annal. Cisterc. tom. 3. anno 1181. cap. 7. Alceffera lib. 4. Differt. cap. 7.

Hucusque historiam, & originem hujus voti retulimus: nunc ad nostrum Innocentium accedamus. Cùm ergo obligatio hujus voti realis obligaret non solum Regem ipsum, verum etiam in posterum, & ejus Regnum, quia emissum fuit votum à Rege, & regi Proceribus pro universali Regno in Comitibus generalibus, presentibus Prælatibus, & Regni Proceribus; ideo successores & habitatores in ipso Regno in perpetuum tenebantur ex ipsa obligatione reali votum exsolvere; quia licet gens mutetur, semper tamen regnum durat, l. proponebatur, Digest. de judic. l. feni, §. final. Digest. quod cuiusque univers. l. 5. titul. 9. lib. 1. recop. l. 5. tit. 15. part. 2. Zypæus contra Caspianum, lib. 2. cap. 21. Joannes Seldenus in mari clauso, lib. 1. cap. 21. ex multis Valencia lib. 2. illustr. tract. 4. cap. 2. Inde hanc obligationem agnoscentes Episcopi Zomorenfis, & Salmantini, consulerunt Innocent. III. an agricolæ illi, qui per longum tempus mensuram tritici, ratione hujus voti, debitam non perfolverant, cùm cogenter eam præstare, deberent solvere majorem mensuram, ut in ipsa regione, videlicet regno Legionensi alii solvebant; an verò minimam solvendo liberarentur? Et videbatur, majorem mensuram eos solvere debere, quia licet in dubiis, quod minimum est, sequamur, l. quotiens 20. l. in obscura 179. Digest. de R. l. l. Mala 13. Digest. de annis legat. & cùm de mensura promissa non constet, ad minimam redigatur petitio, l. si ita 14. l. cum servus 38. §. Seja, Digest. hoc tit. tamen favore Ecclesiæ, & piz causæ generalis promissio latissimam recipit interpretationem, ut in leg. Tertia, §. semper, & §. Seja, Digest. de auro & argent. ubi docetur, legatum relictum templo latè esse interpretandum, videlicet, ut si quis legavit Ecclesiæ calicem, non credatur, legatum fuisse calicem æneum, sed præstandum esse argentum. Faciunt alia, quæ adducit Garanna in præfati. Igitur & in præfati casu major mensura præstanda erat. Sed adhuc Innocentius distinguit ita, ut si alii habitatores ipsius regionis, qui votum continuò exsolvent, unam & eandem mensuram præstiterunt, eandem etiam illi, qui & in solutione cessarunt, solvere debebant, argumento capitis super eo, hoc titul. l. si servus 50. §. si numerus, Digest. de legat. 1. quia casus dubii juxta regionis consuetudinem sunt decidendi, l. 6. Digest. de evict. l. quod si nolit 31. §. qui assiduus 20. Digest. de adilit. edit. l. nummus 76. ff. de legat. 3. l. 1. §. ultim. Digest. de ventre in fide. Illustrant pluribus relatis Oivaldus lib. 15. comment. cap. 1. litter. F. D. Joseph. Vela tom. 1. Dissert. 20. ex num. 27. Si verò diversas & varias mensuras antecessores eorum in eadem regione perfolvebant, quæ videlicet mensura vulgo media faneget,

ex tribus, aut quatuor modis constabat pro diver-
sitate locorum, tunc non ad majorem, sed ad
minorem mensuram præstandam sunt cogendi ex
benignitate, ne ecclesiastici tanquam exactores ni-
mium videantur lucris temporalibus inhiare, aliàs
jure stricto ad majorem mensuram præstandam

cogendi erant, ut docet Covar. in cap. 4. de testam.
n. 5. quia cum in ipso voto exprimeretur mensura
illa, videlicet quæ pro primitiis solvi consuevit;
& illa mensura, vulgò media fanega, in aliquibus
locis tribus, in aliis quatuor modis constet, qua-
tuor modios quilibet solvere cogendus erat.

CAPUT XIX.

Idem. (a) *Cæsaraugust. Episcopo.*

Um olim ad aures nostras tuam querimoniam destinasses, quòd te dil. fil. Abbas
sancti Joannis (b) Præjaden. quartis decimarum, quas in Ecclesiis de Luna, & de
Tauf. debes percipere, multipliciter defraudaret. *Et infra*: His, & aliis, quæ cor-
am prædictis iudicibus, & coram nobis fuere proposita, plenius intellectis, cum no-
bis plena fides facta fuerit, quod Ecclesiæ sæpeditæ in tua sint dicecesi constitutæ, non
solum per alia, verum etiam per hoc ipsum, quod instrumentis compositionum con-
tinetur expresse, ut Abbas tibi tam de (c) quarta decimarum, quàm de cæteris (d) E-
piscopalibus rationibus debeat respondere: de consilio f. n. Abbatem Præmaten. ad
integram solutionem quartæ omnium decimarum, in illis (e) factis deductionibus, &
ad præstationem procurationum, & aliorum Episcopalium jurium in prædictis Ec-
clesiis condemnamus. Licet enim ex forma secundæ compositionis deductiones
essent aliquæ faciendæ; quia tamen compositionem idem Abbas nullatenus ap-
probavit, sed studuit multipliciter impugnare, ex ea non debuit beneficium
consequi, cui renuntiasse tacite videbatur. Absolum erat præterea, ut negaret
suam Ecclesiam in tua dicecesi constitutam, super qua instrumenta prædecessoris
tui ostendebat in jure monasterio fuisse concessa, per quæ jus Episcopale petebat ex-
presse.

NOTÆ.

(a) *Cæsaraugust.* Ita etiam legitur in tertia
collectione, sub hoc tit. cap. 4. suppleendum-
que est, *D. Ramon de Castrocol*, qui ex anno 1199.
usque ad annum 1216. tenuit ipsam Cathedram,
& valde sollicitus fuit de bonis, ac proventibus
ipsius Ecclesiæ; unde ejus tempore Ecclesia illa
mirè ditata fuit, ut refert Fr. Didacus à Mu-
rillo in *hystor. Cæsaraug.* cap. 28. num. 9. De ipsa
Metropolitani nonnulla notavi in cap. 1. de his,
quæ vi.

(b) *Præjaden.* Ita legitur in tertia collectione,
in sexta autem legitur *Prilarensis*, sed legendum
est *Pinnatensis*, quod per celebre monasterium
S. Joannis, vulgò *San Juan de la Penna*, est intra
fines veteris Comitatus Aragonici, in monte
Vruelo ædificatum. A parvis initiis, è tenui scilicet
anachoretica cella in celeberrimum totà His-
paniâ monasterium, Pampilonensium, & Arago-
nensium Regum beneficio, & liberalitate per-
venit, ut referunt plura de eo adducentes Joa-
nes Bric. Martinez in *hystor. ipsius cœnobii*, Yepes

cent. 3. chron. D. Benedicti, ad annum 818. Arnaldus
Oehenartus in *notitia Vasconia*, lib. 2. cap. 7. Fuit
monasterium hoc magnificè ditatum à Regibus,
& Episcopis Cæsaraugust. & exemptum ab omni
lege dicecesana, ut ex epistola Johannis IV. Regis
Angl. probat Hieron. Blanc. in *com. rer. Arag.*
Imò in duobus Conciliis Aragoniæ statutum
fuit, ut omnes Episcopi ipsius Regni deberent
assumi ex ipso monasterio, propter miram san-
ctitudinem, quæ in eo florebat. Abbas ipsius
monasterii, de quo hic agitur, erat frater Pe-
trus de Sorbera.

(c) *Quartis decimarum.* De quibus egi in cap.
conquerente, de offic. Ordin. cap. de quarta, de
prescript.

(d) *Episcopalibus rationibus.* Id est juribus, de
quibus egimus in dicto cap. *conquerente*.

(e) *In illis factis.* Legendum est, nullis factis,
ut legitur in sexta collectione; & rectè inde de-
ducit Barbosa *voto 96. num. 25.* quartam decima-
rum, item subsidium deberi non deductis expen-
sis. Videndus Xamar. *part. 2. rerum Indic. de-
finit. 141.*

CAPUT XX.

Idem (a) *Spoletano Episcopo.*

Lim causam, quam adversus clericos plebis Rupinæ super (b) synodatico propo-
nebas, ven. f. n. (c) Tudertino Episcopo, & dil. f. Abbati S. Petri montis Martan.
commisimus terminandam, coram quibus fuit ex parte tua propositum, quod cum
iidem clerici olim prædecessoribus tuis tres in festo Nativitatis, & tres in festo Resurre-
ctionis

D. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. III. Pars II.

Aa aa

ctionis

tionis Dominicæ pro synodatico solverint denarios Papien. nunc tantum tres Luc. pro singulis denariis Papien. persolvebant, cum duo Papien. valeant sex Luc. unde petebas eos ad Papiensium solutionem nostram auctoritate compelli; cum etsi tu Lucen. ipsos primo anno receperis, semper tamen postmodum jus tuum fueris protestatus. Verum pars clericorum proposuit ex adverso, quod etsi aliquando prædecessoribus tuis denarii Papien. pro synodatico fuerint persoluti, tamen à xlv. annis. *Et infra:* Nos igitur Jacobo tuo, & Joanni presbytero adversæ partis procuratoribus dil. fil. n. P. Basilicæ xlii. Apostolorum presbyterum Card. concessimus auditorem, quibus coram eo nihil volentibus, aut valentibus de novo proponere, quoniam fuerat renunciatum utrimque, cum ipse gesta omnia in nostra, & fratrum nostrorum præsentia retulisset, intelleximus per testes tuos fuisse probatum, quod tempore bon. mem. Lotharii prædecessoris tui, & etiam post decessum ipsius denarii Papien. fuerant pro synodatico persoluti, & exinde tres Lucen. quorum duo valebant v. de iis qui hoc tempore sunt in usu, aliquandiu fuissent exhibiti: & quia tempore (d) Lotharii xxxiii. vel xxxiv. annorum spatium est elapsum, dicta etiam testium partis advertæ inspicimus, per quos voluit comprobare, quod à (c) xl. annis & infra tres Luc. vel tres medietate in synodatico solute fuerint pro singulis Papien. cum Papien. fuissent antea persoluti. Confessus quoque fuerat advocatus ipsius partis in iure, ac ejus confessio in scriptis redacta, nec correctæ, vel revocata per clericos supradictos, quod iidem clerici (f) Henrici, & Lotharii prædec. tuorum temporibus tres Papien. pro synodatico solverent bis in anno, & exinde pro singulis Papien. tres Luc. Cum igitur constet nobis ad plenum per testes utriusque partis, quod Papien. olim pro synodatico solvebantur, quod ex eo etiam sequeretur, quod Luc. soluti sunt postmodum pro eisdem, & cum ex dictis testium tuorum, & confessione advocati alterius partis non revocata, postmodum appareat evidenter, quod tempore Lotharii pro synodatico Papien. fuit moneta soluta, cum ex utriusque partis attestationibus habeatur, quod à tempore Lotharii non nisi xxxvi. annorum ad plus tempus effluerit, & per testes tuos sit legitime comprobatum, quod tres Lucen. qui pro uno Papien. post mortem Lotharii solvebantur, v. vel vi. valebant ex illis, hodie sunt in usu: intelligentes ex hoc, quod per monetæ declinationem acciderit, ut usque ad tempus tuum Lucen. dati fuerint pro synodatico, sicut erant in usu: de consilio fratrum nostrorum procuratorem adversæ partis nomine clericorum plebis prædictæ, tibi ad solutionem denariorum Papien. vel æstimationis eorundem pro synodatico, per diffinitivam sententiam condemnamus.

NOTÆ.

1. (a) *Spolet.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Spoletum antiquissima civitas Umbriæ est, Longobardorum Principum sedes diu fuit, inter Eulginiam, Interamnemque prope radices montium sita, de qua plura refert Ughellius *tom. 1. Italia sacra, p. 2. fol. 162.* Habet Ecclesiam Cathedrali, cujus Prælato Benedicto missa est præfens decisio: de quo hæc refert Ughellius ubi supra, n. 36. qui Benedictus ab Innocentio III. creatus est anno 1198. ad quem Innocentius litteras dedit, ut in decretalibus epistolis videre est.

2. (b) *Synodaticum.* Synodus, seu synodaticum, plerumque pro eodem sumuntur, nempe pro certa pensione nummaria, quam presbyteri exsolvent quoties Episcopi ad Synodum vocantur, olim quidem bis in anno. Quadragesime videlicet tempore, ut constat ex Concilio Liptinensi sub Childerico, *can. 3.* anno 743. celebrato, ubi jubetur, ut presbyter semper in Quadragesima rationem, & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus, & ordine Missarum ipsi Episcopo reddat, & ostendat: & mense Majo juxta canonem 7. Concilii Altissiod. ibi: *Ut medio Majo omnes presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, & Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant.*

Quantum verò quilibet presbyterorum Episcopo solveret Synodi nomine, certum non erat, sed pro parochiarum conditione illustrior largius, angustiores levius vectigal Episcopi arario inferebant, cujus præstationis rationes assignat le Maître *lib. 2. de jurijs Episcop. cap. 3.* Alteserra *lib. 4. dissert. cap. 6.*

(c) *Tudertino Episcopo.* Rustico videlicet, de quo & Ecclesia Tudertina egi in cap. 19. de *jur. rejur.*

(d) *Lotharii.* Qui floruit in eadem Ecclesia per annos 1155. ut refert Ughellius in *hist. episc. Ecclesie.*

(e) *Quadragesima.* Obligatio enim solvendi antiquam monetam præscribitur quadraginta annis contra Ecclesiam, & triginta contra alios; maxime si constet, aliquas solutiones fuisse factas de moneta currenente, & secundum ejus valorem, quia ex illis solutionibus subsequitur præsumitur talem conventionem præcessisse, cum ex præsentibus in præteritis præsumatur, l. *ex persona, l. sine possidetis, C. de probat. resolvit Canc. cerius tom. 2. var. cap. 6. num. 146.*

(f) *Henrici.* Qui Ecclesiam rexit ex anno 1144. usque ad annum 1155. & si tempore hujus Præfatis denarii Lucenses solverentur, plus quam quadraginta anni erant elapsi.

COM.

COMMENTARIUM.

4

Difficilem, & lacinosam hujus textus speciem eleganter retulit D. Joseph. de Retes lib. 7. opusc. cap. 1. in l. 1. ff. de contrab. empt. consuet. 2. num. 55. à quo cum plura didicerim in utroque jure, non erubescio illam transcribere. Clerici plebis Rupinæ solvebant Episcopo Spoletano tres denarios Papienses in festo Paschatis Nativitatis Domini, & eodem in festo Paschatis Resurrectionis singulis annis. Hæc præstatio tractu temporis ita immutata fuit, ut pro singulis denariis Papiensibus solverent tres denarios Lucenses, live (quod idem est) novem Lucenses singulis pensionibus; nam tres Lucenses unum Papiensem faciebant. Talis tunc erat iusta proportio monetæ Lucanæ ad monetam Papiensem. Postea Respublica Lucana auxit valorem suorum denariorum, five minuit pondus metalli, & de duobus denariis fecit quinque denarios, ac si nos diceremus, *La moneta que valia un quarto, la subdivido a dos y medio, o diez maravedis*. Unusitaque vetus denarius Lucensis valere incepit duos denarios & alterius semissem. Manfit igitur nomen denarii Lucensis, sed defecit valor intrinsecus diminuto pondere. Defecit per consequens proportio monetæ Lucanæ ad monetam Papiensem; quia aucto valore denariorum Lucensium tres novi jam non efficiebant unum Papiensem, sed septem cum dimidio. Colligo rem gestam ex integra epistola decretali, quam debemus Antonio Augustino, à quo eam transcripsi: Hic erat status vetus, novisque rei monetæ apud Lucenses. Clerici plebis Rupinæ tres Lucenses de-

narios novos imminuti ponderis pro singulis Papiensibus singulis pensionibus pro synodatico solvebant Episcopo Spoletano, quos multis annis Episcopi receperunt decepti homonymia vocis, vel existimantes omnium Papiensium denariorum semper fuisse eundem valorem. Sed comperta diminutione monetæ Lucensis, Episcopus, qui tunc temporis sedebat, comparuit coram Romano Pontifice, petens, ut solverentur sibi pro synodatico vel unus Papiensis, vel tres Lucenses veteris ponderis, & qualitatis, non tres Lucenses novi. Clerici plebis Rupinæ opponebant præscriptionem Episcopo, allegantes à tempore Lotharii prædecessoris Episcopi adversarii, uniformi præstatione tres Lucenses novos fuisse solutos, & receptos pro synodatico prædicto; & factâ supputatione temporis, ab eo tempore usque ad diem iudicii cepti, quadraginta annos effluxisse contendebant, Episcopus Spoletanus præscriptionem tentabat excludere. Cum ergo ad annorum calculum devenit fuisset, constitit per confessionem partis clericorum Lothario denarios Papienses solutos fuisse, non Lucenses, à cujus obitu ad diem cepti iudicii triginta & sex anni ad summum lapsi fuerant. Exclusâ ergo quadraginaria præscriptione, quâ solâ clerici plebis Rupinæ initebantur, decrevit Pontifex, ut de cætero clerici præfati pro synodatico solverent Episcopo Spoletano tres denarios Papienses, vel pro singulis Papiensibus tres Lucenses veteres, vel septem cum dimidio novos. Hactenus species hujus textus: ejus decisionem exponemus infra in cap. cum canonici.

CAPUT XXI.

Idem Priori (a) S. Stephani.

Cum ven. f. n. (b) Phanen. Episcopus, & tu in nostra essetis præsentia constituti, & de quaestione, quæ inter vos super Ecclesia S. Stephani Phanen. vertebatur, velletis ad invicem litigare, dil. fil. I. tit. S. Priscæ presbyterum Card. & I. sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diac. Card. vobis concessimus auditores, coram quibus allegando oppone-
re curavistis, quod cum prædicta Ecclesia S. Stephani quarundam monialium, quæ in ea videbantur sub religionis habitu conversari, malitiâ faciente fuerit ferè ad desolationem redacta, illas bon. mem. Cato Phanen. Episcopus auctoritate fel. rec. Eugenii Papæ p. n. ab Ecclesia memorata removit, & canonicos in ipsa instituit regulares, statuens, ut ordo canonicus perpetuus in ea temporibus debeat observari, & eam ab omni exactione, tam sua, quam successorum suorum, & Phæn. Ecclesiæ prorsus absolvit, retento sibi & Ecclesiæ suæ uno cereo trium librarum ab ea annis singulis exsolvendo. *Infra*: Nos autem cum dicti Card. ea quæ audierant, nobis fideliter retulissent, dicto instrumento diligenter inspecto, reverà cognovimus, quod præfatus Episcopus (c) spallas quas ab eadem Ecclesia, tam ipse, quam prædecessores sui recipere consueverant, Ecclesiæ præfata remisit, & statuit quod aliud servitium ei non imponeret, sibi & Ecclesiæ suæ annuatim trium librarum cereo pensionis nomine reservato. Quia verò visitationi annexa est procuratio, cum nemo suis stipendiis debeat militare, nec os bovi alligandum sit trituranis, & Episcopus ratione spiritualis jurisdictionis, quam habet in ea, teneatur causâ correctionis præfata Ecclesiæ visitare, nec intelligatur quasi novum imponi quod ab ipsa fundatione de communi fuerat jure impositum, de consilio f. n. decernimus, quod idem Episcopus cum ad ipsam Ecclesiam causâ correctionis accesserit, moderatam ab ea procuracionem accipiat (d) bis in anno, sed nihil aliud præter pensionem, & procuraciones præscriptas idem Episcopus ab eadem Ecclesia exigere, vel extorquere præsumat.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. II. Pars II.

Aaaa 2

NOTÆ

NOTÆ.

(a) **S**ancti Stephani.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 6. quod monasterium est Canoniorum regularium in ipsa dicecesi Pharenfi, ut in hoc textu refertur.

1. (b) **Pharenfi.**) in sexta collectione legitur Phaben, sed male, cum in ipsa dicecesi nullum reperitur monasterium S. Stephani, nec inter eius Episcopos, quorum catalogum refert Ughellius tom. 1. Italia sacra, refertur aliquis dictus Cato, cujus hic fit mentio: unde existimabam legendum esse Pharen, Pharenfensem Ecclesia est suffraganea Iadertin. sub Patriarcha Gradenfi: unde Innocentius noster libro 1. epistol. reprehendit Episcopum Pharensem, quod ausus fuisset inconsulto Patriarcha Gradenfi se transferre ad Ecclesiam Iadertinensem.

2. (c) **Spallas.**) Spalla accipitur pro membro, seu parte feræ, apri, cervi, seu similis animalis, ut aperte demonstrat noster Innocentius lib. 3. regestr. 13. in epist. ad Abbatem sanctæ Mariæ Rosunde, dum refert, solutam fuisse spallam porci ob licentiam venandi, ibi: *Et quod ad Abbatem,*

Et parum instantiam suam venerant Ravennates, Et qui venabantur in ipsa, reddebant eidem singulis annis spallam porci, Et cultores agrorum decimas, Et gregum pastores certos redditus exsoluebant. In veteribus diplomatibus Abbatæ Sancti Sabani, in Episcopatu Bigorritano, scriptura Comitis Raymundi ita inquit: Concedimus in ipsa valle, ut si quis porcum singularem, sive ceruum venando ceperit, quartam, sive spallarem sancto Sabino persolvat. Etiam pars illa animalis dicitur friscinga, & ita procurationis nomine solitum Archiepiscopum Rhemensem exigere ab Abbate sancti Remigii friscingas, constat ex epistola 29. Alex III. edita à Jacobo Sirmundo: & plura de friscinga tradunt Cironius lib. 1. obsero. cap. 5. Joan. Vossius lib. 3. de vitis serm. cap. 7.

(d) **Bis.**) Licet enim visitatio tantum semel in anno fiat, tamen iustus ex causis potest Provincia bis in anno visitari; unde cum monasterium hoc Canoniorum regularium noviter constructum esset, ob relaxationem veteris monasterii monialium, poterat Archiepiscopus bis illud visitare, procuracione percepta, que non censetur remissa, etsi jura Episcopalia generaliter remittantur.

CAPUT XXII.

(a) Idem.

Super eo, quod f. t. nos consulere voluit, ut quia tota ferè provincia Compostell. de novo est ad (b) jurisdictionem Ecclesiæ tuæ conversâ, qualiter tibi provinciam, vel partem provinciam visitanti obsequi debeat, & servire, nec-non & in procuracionibus providere, te instruere dignemur: f. t. duximus respondendum, quod illud observare tenetur, quod in vicinis provinciis observatur.

NOTÆ.

(a) **Idem.**] Innocentius videlicet Petro Compostellano Archiepiscopo, de quo egi in cap. ex parte, hacten. Etiam reperitur textus hic in cap. 7. sub hoc tit. in 3. Compil.

1. (b) **Ad jurisdictionem.**] Non quia recuperata esset à Saracenis, ut voluit Hostien. in præsentî; sed quia cum jus Metropolitanæ Ecclesiæ ex Emeritensi Ecclesia in Compostellanam per Calixtum II. anno 1119. translatum fuisset, cujus translationis bullam referunt histor. Compostell. & Egidius Gonzalez in hist. Salmanticens. lib. 2. cap. 9. Moreno de Vargas in hist. Emerit. cap. 7. & ex hac translatione magna ortæ essent controversiæ inter Compostellanum, & Bracharensem super dicecesibus Ullisiponenfi, Elborensi, & Lamecensi, transacione postea fuerunt sopita, & ipsa transacione confirmata fuit per Innocentium III. aliis etiam locis, & monasteriis Compostellano assignatis, ut constat ex epistola ipsius Innocentii edita à Cardinale Sireto, fol. 356. in hæc verba: [In eminenti Apostolicæ Sedis specula, disponente Domino constituti, &c. usque ad verbum *Assen.* ad exemplar prædecessorum nostrorum felicitis record. Calixi, Anastasii, Alexandri, & Lucii Rom. Pont. Compostellan. Beati Jacobi Ecclesiam, cujus in ea venerandissimum corpus est positum, Apostolicæ Sedis privilegio com-

munimus, & ob ipsius à Deo electi Apostoli reverentiam, Archiepiscopalis Cathedræ dignitatem, quam opulentissima quondam, & famosissimi nominis Emeritana civitas, prius quam peccatis exigentibus ab impia Saracenorum tyrannide possideretur, habuisse dignoscitur, præsentis scripti paginâ in perpetuum confirmamus, statuentes, ut eadem Emeritana civitas, si ad potestatem Christianorum, Domino dominante redierit, Episcopum habeat, qui Compostellano Archiepiscopo, sicut Metropolitanano suo debeat perpetuò subjacere. Omnem quoque Pontificalis officii plenitudinem, quam ipsius Emeritana Ecclesiæ Antistites antiquitus habuerunt, Compostellanæ Prælati Ecclesiæ semper obtineat, & quietè. Suffraganei verò Episcopi Emerit. Metropoli, qui per Lusitaniam Provinciam, vel modò sedes proprias obtinent, vel in futurum per Domini misericordiam obtinerint, Salaman. videlicet, Abulen. Caurien. Civitaten. Placentin. Pacen. Oxonoben. & præterea Lamecen. & Egitanien. nec-non Ulyssbonen. & Elboren. sicut in nostris sententiis continetur, Compostellano Archiepiscopo, cujus consecratio ad Rom. tantum Ecclesiam spectat, obedientiam, & reverentiam, tanquam proprio Metropolitanano profus exhibeant. Ipse autem consecrandi, ad sua Concilia convocandi, cum ipsis etiam ecclesiastica negotia terminandi, & eorum Ecclesias disponendi, auctoritate Sedis Aposto-

Apostolica liberam omnino habeat facultatem. Prohibemus autem, ut nulli Canonico ejusdem Ecclesie beati Jacobi, qui ad aliarum Ecclesiarum pralationem assumpti sunt, vel in posterum assumuntur, honorem, vel prebendam, seu canonicatum in ipsa Ecclesia liceat retinere, sed alia idonea persona in locum ipsorum subrogetur, quae ipsa Ecclesiae deserviat, & ejusdem beneficium sortiatur. Illum etiam censum, qui Vota dicitur, quem Hispanorum Catholici Reges ex singulis boum paribus à flumine Pisorga usque ad mare Occidentale, & per totam Lusitaniam Provinciam, atque etiam in Toledo, & trans Serram annuatim persolvere pro salute totius terrae liberaliter statuerunt, eidem Ecclesiae confirmamus, & omni modo interdiciamus, ut nulli fas unquam sit cum ipsi Ecclesiae qualibet occasione subtrahere. Obeunte vero te, &c. Praeterea quasunque possessiones, &c. usque ad verbum *Vocabulis*. Civitatem ipsam Compostellanam cum Cauto suo, cum Ecclesiis, & monasteriis, infra eam, vel ejus territorium constitutis, cum omni jure, tam diocesano, quam regali, & cum terminis totius Episcopi, videlicet cum Archipresbyteratibus de Mortacio, & de inter Ambrosponis, de Montibus utriusque, de Taberiolis, & de Ciria, de Pilonio, & de insula Laonii, de utroque Coronato, de Dormian, & Superado, & Aranga, & monte Iaurino, quo modo dividitur, cum Partega de Prucis, & de Bisauçis, cum tota interjacente dioecesi, à Castello sancti Pelagii de Luco usque Transancos: monasteria quoque omnia, & conventuales, seu alias Ecclesias infra hos terminos constitutas, cum omni jure parochiali, & quae intra regalia Beati Jacobi continentur, cum omni seu patronatus, seu alio jure, quod ad Reges pertinet, videlicet monasterium sancti Pelagii de Antaltaria, monasterium sancti Martini de Foris, Ecclesiam sanctae Mariae de Sara, monasterium sanctae Mariae de Canogio, monasterium sancti Petri de Foris, monasterium sancti Justini de Luania, monasterium de Superado, de Azzuario, de Codelada, de Mosonzo, de Ciniis, de Monteferro, de Borgondo, de Negoria, de Solandres, de Calavario, de Sivar, de Rivomalo, de Moriam, de Ozon, de Savarée, de Portuorio, de Nometi, de Civitio, de Brivis, de Meeis, de Dormian, de Calago, de Podio, de Lerze, de Armentaria, de Harcos, & monasterium sancti Joannis de Cavea, sancti Christophoti, sancti Vereximi, sancti Georgii, sancti Thomae, de Pimario, & sancti Jacobi de Ermello: praeterea regalem Capellaniam, & Cancellariam, quam bonae memoriae Alfonso illustris Hispaniae Rex Ecclesiae vestrae concessit, & scripti sui paginam roboravit: Castrum quoque quod vocatur Honestum, & Iriam, cum servis, & omnibus appendiciis suis; Castrum, quod vocatur Sancta Maria de Lanecata, cum Ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis; Castrum, quod vocatur Ciria cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis; Castrum, quod dicitur Citofata, cum Ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis; Castrum, quod dicitur Cathobadi, cum pertinentiis suis; Castrum Daravum, cum villis, & Ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis; Castrum, quod dicitur Luparia, cum Ecclesiis, & pertinentiis suis: Territorium, quod vocatur Amaea cum omnibus possessionibus, quas ibi

D.D. Gonzal, in Decretal. Tom. III, Pars II,

habetis: Pistomarcos cum servis, & possessionibus, quas in eo habetis: Bissetium cum servis, quos ibi habetis: Dubriam cum possessionibus, quas ibi habetis: Lanias cum pertinentiis suis: Lucrosam cum servis, & pertinentiis suis: Montanos cum Ecclesiis, & possessionibus, quas ibi habetis: Coronatum cum possessionibus, quas ibi habetis: Ventosam cum insula de Laonio: Montes, quos quandoque Suarius Friola à vestra Ecclesia tenuit, cum altera medietate integros: Burgum de Ponte Veteri cum pertinentiis suis: Taurirolas cum Ecclesiis, & possessionibus, quas ibi habetis: Ripam Ulia cum Ecclesiis, & possessionibus, quas ibi habetis: Deciam cum possessionibus, & Ecclesiis regularibus, & omnibus pertinentiis suis: terram de Superado integram cum pertinentiis suis: in eadem Decia monasterium sancti Laurentii de Carbonario, quod Ecclesiae Compostellanae secundum jus patronatus adjudicatum est per sententiam dilecti filii nostri G. S. Angeli Diaconi Cardin. tunc Apostolicae Sedis legati: medietatem burgi de Faro cum pedagio navium, & jure pisci: villas de Cecia in Nemancos, & de Oca in Bregantin, de Leiloio in Scia, de Augundo Piaveladegio, Liure, & de Ruiis in Endis, de Tooure in Prucis, cum Cautis, Ecclesiis & pertinentiis suis, & alias Ecclesias, seu possessiones, quas jure proprietatis extra fines regalium vestrorum per eundem Episcopatum habetis: In Episcopatu quoque Mindunien. Ecclesiam sancti Laurentii de Arbore cum Cauto, quod dicitur villa de Maures, & villam S. Petri cum Ecclesia sua, & Ecclesias de Rivo Averso, & sanctae Euolaliae Altae, & de Radigosa, & sanctae Mariae de Turre, & sancti Martini de Palatiis, cum omnibus pertinentiis suis: In Episcopatu Lucen. villas de Recelli, & de Cesa: In Episcopatu Auriem. villas de Amartante, de Jovin, & de Vite, & de Villari Regis, & medietatem Souti de Parata: In Episcopatu Tuden. Cautium, quod dicitur de Molis cum omnibus Ecclesiis, intra ipsum contentis, & monasterium de Cella, & villas de Lazorio, Baldranes, Lamala, & Nugaria: In Episcopatu Bracharen. villas de Cornelian. cum Ecclesiis suis, & Moaci, & Gandusi, cum montibus, exitibus, & pertinentiis suis: In valle Carceris hospitale, quod dicitur Anglorum, cum Ecclesia sua, & aliam Ecclesiam, quae ipsi ex eadem parte superjacet, & villas de Tabladeo, & de Parata: In Episcopatu Astoricens. villas de Cacavell, cum Ecclesia sua, & de Carhali, & Ecclesiam sancti Jacobi de Requeixo, de Sanabria: In Episcopatu Legionen. domos, quae fuerunt Archidiaconi Thomae: In ipsa civitate villam de Ledigos cum Ecclesia sua, & partem villae de Furonés, cum omni jure, quod habetis in Ecclesia: In ripa Estolae villam Alexii, & villam Leandri, cum Ecclesiis suis, & juxta monasterium sancti Facundi villam Cerame: In Episcopatu Palentin. Ecclesiam sancti Michaelis de Vallouria, & villam dictam Savugelo de Raaces cum pertinentiis suis, & omni jure regali, sicut Alphonsus illustris Castellanorum Rex Ecclesiae Beati Jacobi eam donasse dignoscitur: In Episcopatu Oueten. in villa Olerxida omnes Ecclesias, & in Benevento Ecclesiam sanctae Mariae de Ventosa: In Asturien. Ecclesias sancti Joannis de Cerreda, & villam Armillum cum hospitali quod est in strata, cum

Aa aa ;

monti-

montibus, & omnibus pertinentiis suis: In Episcopatu Zamorensi villas, & Ecclesias de Arquilinis, & de Arcos, & Ecclesiam sancti Jacobi de Zamora; villas de Palatis, & de Spino, & de Aldeola cum Ecclesiis suis: In Episcopatu Salmantini. villam de Munigno Afnar, cum Ecclesiis suis, & villam quæ dicitur Ecla, & villam Bilvestre cum jure regali, & Ecclesiam S. Martini de Ledesma, & alias Ecclesias, vel possessiones, quas in prædictis Episcopatibus habetis. In Episcopatu Caurien. Castrum, quod dicitur Altalaja, Pelagii videlicet, cum terminis suis, & Ecclesiam de Granata, quæ dicitur sancti Jacobi, cum domibus, & piscariis, & aliis possessionibus, quas ibi acquisistis: Ecclesias quoque, & possessiones, quas in Vasconia, in Italia, & in aliis partibus orbis per diversos Episcopatus habetis. Decernimus ergo, &c. salva in omnibus Apostolica Sedis auctoritate. Si qua igitur, &c. Dat. Lateran. per manum Raynaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarii vicem agentis, secundo idus Julii, in dictione secunda, Incarnationis Dominicæ M. CXC. IX. Pont. verò Domini Innocent. III. anno II.]

2. Unde cum noviter omnes Ecclesiæ superiori epistolâ relatæ Archiepiscopo Compostellano

fuisent assignatæ, consuluit Petrus Innocentium III. quomodo in eis procuraciones tempore visitationis deberet exigere, & eas visitare. Cui consultationi respondit Innocentius in præsentia, quod illud jus debet observare, quod in aliis provinciis communiter custoditur; licet enim cum agitur de rebus ecclesiasticis inferiorum Ecclesiarum Cathedralium, regula sumi debeat à Metropolitana Ecclesia, *cap. cum Ecclesia, de elect. cap. super eo, de cognat. spirit.* nisi de his agatur, quæ fidem, vel uniformem Ecclesiæ statum respiciunt; tunc enim Romana consuetudo servanda est, *cap. de his 12. dist. argumento legis unicæ, C. de Metrop. Bery. §. final. Instituta de factis d. ibi: Necessè est omnes provincias caput omnium nostrarum civitatum, hoc est regiam urbem, illiusque observationem sequi;* veluti in Sacramentis, quæ administrantur prout Romana Ecclesia prædicat, & docet, *cap. ad abolendam, de hereticis.* Tamen cum dubitatur de consuetudine aliquus Ecclesiæ, Metropolitanæ vicinioris provinciæ consuetudo attenditur. *Solorzani tom. 2. lib. 3. cap. 5. num. 65.* Quare cum in præsentia calu proximior Provincia esset Bracharenis, juxta illius consuetudinem Compostellanus Archiepiscopus visitare debebat, ut docuit Cironius ad tit. de consuet.

C A P U T XXIII.

Idem in Concilio (a) Generali.

PROcuraciones, quæ ratione visitationis debentur Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam Ap. Sed. Leg. aut Nunciis, absque manifesta, & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi cum personaliter visitationis officium impendant. Erectionum, & personarum mediocritatem observent in Later. Concilio constitutam, hoc adhibito moderamine circa Legatos, & Nuncios, ut cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter ipsos nimium aggravetur, procuraciones recipiant moderatas ab aliis Ecclesiis, vel personis, quæ nondum fuerunt de suis procuracionibus aggravatæ: ita quod numerus procuracionum numerum dierum, quibus moram hujusmodi fecerint, non excedat. Et cum aliqua non sufficiat per seipsam, duæ, vel plures conjungantur in unum. Porro visitationis officium exercentes, non quærant quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, prædicationi & exhortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit. Qui autem contra hoc venire tentaverit, & quod accepit, reddat; & Ecclesiæ, quam taliter aggravavit, tantundem (b) impendat.

NOTÆ.

1. (a) *Generali.*] Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. *can. 33.* & etiam habetur textus hic in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.*

2. (b) *Impendat.*] Immo non Ecclesiæ, sed pauperibus restitutio facienda est, *cap. quia 8. de immunitat. Eccles. ibi: Pauperibus elargiri.* Pro cuius difficultatis solutione dicendum est cum Glossa *ibi, Zabarel. opposit. 1. Panormi. num. 6. Boët. Epon. numero 12.* casus omnino diversos esse, alium scilicet hic, alium verò illic referri: hic enim agitur de visitatione Episcopali, quæ personaliter est facienda non sine magno Ecclesiæ

visitata sumptu: illic autem agitur de exactione, quæ pro Legato Pontificis fit per Episcopum, non quidem visitationi incumbentem, nec suis procuracionibus Ecclesiam onerantem; sed domi suæ manendo, minutum quid à singulis clericis, quasi stipis instar, accipientem: unde evasit major summa in unum collecta, quam quæ Legato solveretur, ideoque in præsentia casu Ecclesiæ gravatæ duplum refunditur. At verò in dicto capite, quia simpliciter restituitur clericis, qui amplius gravati fuerunt in ea exactione, aliud verò simpliciter pauperibus erogatur, cum non facile in tot clericos refundi possit. Commentarium hujus textus dedi *in cap. cum Apostolus, hoc tit.*

C A P U T XXIV.

Honorius III. de (a) Tyro, & de Josaphat Abbatibus.

Venerabili fratre nostro (b) Cenomanensi Episcopo accepimus referente, quod cum causa quæ inter ipsum ex parte una, & Abbatem, & Conventum de (c) Cultura Cenoman. Diocesis. ex altera, super procuracionibus, quas ab eis petit idem Episcopus, tam in capite, quam in membris noscitur agitari, de consensu partium vobis fuerit ab Apostolica Sede commissa: dicti Abbas & Conventus ex eo frustrare intentionem ejusdem Episcopi moluntur, quod eorum monasterium in Cenomanensi villa situm esse dignoscitur, & ipsi procuraciones se afferunt Episcopo hæcenus non soluisse, quamquam exemptionis privilegium non ostendant, & eidem Episcopo competat jus commune. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, disc. v. m. quatenus nisi dicti Abbas, & Conventus aliud rationabile ostenderint, & probaverint, propter quod ipsi Episcopo exhibere non debeant supradicta, vos eos ad exhibendum ea, sicut jus dixerit, juxta priorem Apostolicarum litterarum tenorem ratione præviâ compellatis.

N O T Æ.

Tyro.] Ita legitur in quinta compilatione sub hoc titulo cap. 1. Monasterium Sanctæ Trinitatis Tyri constructum fuit in Carnotensi diocesi sub anno 1110. quâ ætate non modò vixit Ivo illius Episcopus, verum & Tyroni quoque monasterii mentionem fecit *epist. 229.* Meminit ejus D. Bernardus *epist. 126.* & de eo nonnulla adduxit Chopinus *de sacra pol. fol. 59. & 350.* Aliud etiam monasterium Sanctæ Mariæ de Josaphat est Ordinis D. Benedicti, fundatum à Gofrido Episcopo Carnotensi anno 1120. ut notavit Cironius in præfenti.

(b) *Cenomanensi.*] Mauricio videlicet, qui postea fuit Archiepiscopus Rothomagensis anno 1231. & de diocesi Cenomanensi nonnulla adduxi in *cap. 5. de rescriptis.*

(c) *De Cultura.*] Monasterium hoc Sancti Petri de Cultura est in suburbis Cenomanensibus Ordinis D. Benedicti, constructum à Bertgrano Episcopo Cenomanensi anno 600. & amplè dotatum à Constantia Connani Comitis Britannia: filia.

COMMENTARIUM.

Olim Monasteria non solum quoad legem Diocesanam, verum & jurisdictionalem paruisse Episcopis propriis, latè probavi in *cap. licet, cap. gravi, de offic. Ordin.* unde visitabantur ab Episcopis, ut non modò si quid ab ipsis Abbatibus, aut monachis contra regulam actum erat, emendaretur, verum etiam quæ ad victum illorum pertinebant, ipsi providerent. Concil. Vernense *can. 20.* Concil. Arelat. sub Carolo, *can. 8.* unde in *addit. 1. capitularium cap. 9.* caveatur, ut nullus Episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat. Immo & in Gallia simul cum iudicibus secularibus Episcopi Monasteria visitabant; unde conquærantur Episcopi Galliani in Concilio Cabilon. *1. cap. 11.* quòd eo tempore iudices publici contra veterem consuetudinem per omnes parochias, vel monasteria, quæ mos est Episcopos circumire, ipsi illicità præsumptione videantur discurrere; simul ta-

men cum Episcopis Comites, & Iudices Regios debere monasteria visitare, caveatur in Concil. Mogunt. sub Carolo, *can. 20.* ibi: *Dignum, ac necessarium est, ut missi per quaque loca directi, simul cum Episcopis unusquisque Diocesis perspiciant loca monasteriorum, canonicorum pariter, & monachorum, simulque puellarum.* Quod habetur *lib. 1. capitul. cap. 122.* & *lib. 5. cap. 78.* Sed quorsum sæculares Magistratus unà cum Episcopis in visitandis monasteriis? Hoc certè non ad auctoritatem, & dignitatem Ecclesiæ minuendam à Christianissimo Principe statutum, rectè probat Filescus in *cap. quanto 7. §. 4. de offic. Ordin.* sed ut habetur *lib. 2. capitul. cap. 25.* missi illi omnibus generaliter notum faciant, qualis sit eorum legatio, scilicet ad hoc esse se à nobis missos constitutos, ut si quilibet Episcopus, aut omnes ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non possent, ad eos recurrant, & cum eorum adiutorio ministerium suum adimpleant; & si talis causa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non possit; pereos ad nostram notitiam deferatur. Ac, ut loquitur Concil. Arelat. sub eodem Carolo, *can. 17.* Quos sacerdotalis admonitio non flecitat, ad justitiam regalis potestatis ab improbitate coercet; ita ut secularis potestas tantum in adiutorium, & auxilium adhiberetur. Unde in Concilio Veriensi *can. 5.* ita statuitur: *Ut monasteria, tam virorum, quam puellarum, secundum ordinem regulariter vivant; & si hoc facere contempserint, Episcopus in cuius parochia esse videntur, hoc emendare debeat: quod si non potuerit hoc emendare, illi, quem Metropolitanum constituimus, hoc innoceat, & ipse hoc emendari faciat: quod si hoc nec ipse emendare potuerit, ad Synodum publicam exinde veniant, & ibidem canonicam sententiam accipiant; & si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis, & alius in eorum locum in ipsa Synodo constituatur.* Consentit Concil. Epau. *can. 19.* Et his temporibus Episcopo visitanti monasteria procuraciones persolvebantur, ut in præfenti docetur. Postquam tamen eximi cœperunt monasteria à lege diocesana, & jurisdictionali, cum Episcopi jus ea visitandi non haberent, per consequens

nec exigendi procuraciones. Juxta quam temporum verietatem accipiendi sunt textus in cap. dilecto, de offic. Archid. cap. constitutus 8. de relig. dom. cap. 7. de penis. Unde apparet verus sensus præsentis textus, in ejus enim specie Episcopus Cenomanensis cum visitaret monasterium Sancti Petri de Cultura, exigebat procuraciones ab ipsis monachis; Abbas autem eas solvere renuebat, quia monasterium illud erat in ipsis suburbis Cenomanensibus; unde in ejus visitatione nullas expensas faciebat, siquidem domi remanebat: atque ita cum nullas in itinere expensas faceret, jus procuraciones exigendi non habebat. Asserebat etiam jam a longo

tempore procuraciones solutas non fuisse; unde intendebat, eas injustè exigi ab Episcopo: sed cum procuratio sit annexa visitationi, eo quod qui seminat spiritualia, debet percipere temporalia, ex traditis supra in cap. cum Apostolus; & hæc ratio æquè militet siue Ecclesia sit intra, vel extra urbem; & etiam quia solvitur à subjectione, ut eo etiam commentario probavi, inde rectè Honorius III. decrevit, monachos ipsos debere procuracionem præstare, nec tempus longum, per quod eam non præstiterunt, illis suffragari, cum circa procuraciones visitanti præstandas non errat præscriptio, ut probavi in cap. cum ex officio, de præscript.

C A P U T XXV.

(a) Gregorius IX.

CUm nuper Archiepiscopus Beneventanus Beneventanam provinciam visitaret. *Et infra:* Mandamus, quatenus cum eundem Archiepiscopum siue auctoritate propria, siue nostra Beneventanam provinciam contigerit visitare, procuraciones ratione visitationis debitas juxta facultates Ecclesiarum vestrarum exhibeatis eidem. Alioquin sententiam, quam ipse ritè tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

N O T Æ.

1. (a) **G**regorius IX.] Cum non habeamus epistolam ipsius Pontificis, certò agnoscere non possumus Prælatos quibus in præsentis rescribit: tantum ex textus serie colligitur, loqui

cum subditis ipsius Archiepiscopi Beneventani. Beneventum autem, vulgò Benevento, est Metropolis Italiae, cujus Ecclesia olim erat Canonico-regularium, ut refert Pennotus lib. 2. histor. Canonic. regul. cap. 29. num. 4. Commentarium hujus textus dedi supra in cap. supra.

C A P U T XXVI.

(a) Idem.

Cum Canonici majoris Ecclesie quandam summam pecunie pro pensione Ecclesie tue debitam aliquot annis persolveris, & iidem summam illam ex integro de meliori moneta exigant solvi tibi: Tibi damus nostris litteris in mandatis, ut Canonicos illos solutione prioris pecunie, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos.

N O T Æ.

1. (a) **I**dem.] Gregorius IX. videlicet, nec amplius ex littera constat, videlicet nec de personis cum quibus loquitur Pontifex, nec de moneta juxta quam pensio solvebatur, aut regione ubi casus hic contigit: ex littera tamen à Raymundo relata apparet, quod quidam per aliquot annos persolvit Canonicis certæ Ecclesie Cathedralis annuatim quandam summam pecunie pro pensione illi debita; solvit videlicet mille regales monete minoris: pone quod solvit centum uncias argenti, quæ pendebant totam summam, videlicet mille regales, quia tunc temporis singulæ uncia æstimabantur decem regalibus argenteis; sed cum postea minoris fuisset valor uncia argenteæ ad octo regales, vel vilis materia immixta veteri monete adempta fuisset, quo purior, & perfectior moneta

maneret, Canonici illius Ecclesie intendebant exigere mille regales argenteos in nova moneta, scilicet centum viginti & quinque uncias signatas pro centum, quas olim exigebant: de quo casu cum consultus fuisset Gregorius, respondit Canonicos contentos esse debere moneta antiqua minoris ponderis, vel deterioris metalli, si inveniri possit, vel si in totum abrogata fuit lege Principis, reducendam esse novam ad proportionem, & æstimationem veteris, ut qui pensionem solvebat, non gravetur ad plusquam ad id, quod solvebat tempore constitutæ pensionis in veteri moneta; sed si non est idem textus qui tribuitur Urbano III. in cap. 3. hoc tit. in 2. collection. valde similis est. Verba refero: [Querelam P. Presbyteri Sancti Petri accepimus, quod cum Canonicis Debore certam summam pecunie pro pensione Ecclesie suæ aliquot persolvisset annis, iidem Canonici ab eo summam

summam illam ex integro de Parisiensi moneta exigunt sibi solvi; licet ea melior sit illa, quam pro pensione prædicta solvere consuevit. Quia igitur in hoc idem presbyter contra iustitiam gravatur: disc. v. per A. l. m. quat. si verum est quod asseritur, Canonicos illos antiquâ pensione cogatis, ap. cess. manere contentos.]

(b) *Pro pensione.*] Pensionis variæ exceptiones sunt: nonnunquam accipitur pro mercede habitationis ædium, ut in *l. lecta, §. igitur, ff. de rebus creditis*: aliquando pro præstatione certis temporibus, & terminis divisa, *l. 3. ff. de annuis legat. l. 8. §. si annua, ff. de pignovatitia, l. defuncta 48. ff. de usufruct.* In hoc Canonico iure passim accipitur pro certa parte fructuum alicujus beneficii in alterius favorem reservata, ut in *cap. nisi essent, & aliis congestis, de prob.* In præfenti autem accipitur pro censu annuatim solvendo Ecclesiæ Cathedrali, ut etiam accipitur in *cap. 2. de his que sunt à Prælatiis*, ut ita accipiatur textus hic juxta rubrum sub quo jacet.

COMMENTARIUM.

³ *Conclusio traditur. & probatur.* **E**x hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Pensiones antiquæ juxta antiquam monetam sunt solvenda; & si non est in usu, ad ejus estimationem.* Quæ assertio probari potest ex *cap. olim, hoc tit. Clement. 2. de decimis, cap. 2. de maledicis, cap. querelam, de elect. l. si voluntate, C. de rescind. l. creditor, ff. de solut. l. penult. C. eodem tit. & argumento deducto à mensuris ad pondera, seu nummos, ex *l. 2. ad finem, tit. 13. lib. 5. recopil.* Illustrant ultra congestos in præfenti à Barbofa, Fachineus *lib. 2. contr. cap. 10.* Cevallos *commun. quest. 219. num. 2.* Pirrus Maurus *de solut. cap. 27. per tot. Alex. Ludovivius decis. 41.* Felicianus *de censib. lib. 4. cap. unic. num. 28.* Faber in *lib. de variis nummis, cap. 4. ferè per tot. & cap. 11. num. 20. & cap. 21. num. 13.* plures ex moralistis apud Dianam *p. 8. tract. 7. resol. 18.* Ezpeleta in *tractatu patrio idiomate scripto*, cui titulus, *Resoluciones morales sobre las vacas de la moneda.* David Argent. in *l. Paulus, ff. de solut.* Penna *decis. 5.* Robertus *lib. 1. ver. judic. cap. final.* Tondut. *resol. civil. cap. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* Corrafius *lib. 3. miscel. cap. 13.* Hothomanus *instr. 9. 15. & lib. 7. obs. cap. 11. & lib. 8. cap. 4.* Cancercus *2 tom. cap. 6.* Hermosilla in *l. 3. tit. 3. p. 5.* Valenzuela *consil. 3.* D. Jean de Larrea *alleg. 84. & decis. 12.* Noguero. *alleg. 2.* Amaya in *l. unic. C. de collat. artis*, Basil. Legion. *de potest. Principis circa monetam, q. 3. & 4.* Marquez in *gubernat. Christ. lib. 2. cap. ult. §. 2.* D. Joseph. de Retes *lib. 7. opusc. cap. 1. consel. 2.* Guzman. *de verit. jur. verit. 12.* Marinis *tom. 1. decis. 333.* Bronchorst. *enantioph. cent. 2. assert. 17.**

⁴ *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam æstimatione monetæ est, non ex affectione hominum, sed ex voluntate Principis regulata, *l. 1. ff. de contrahend. emption.* unde licet in aliis rebus propter affectionem, & æstimationem in litem juretur; in nummis tamen non admitti juramentum in litem, probat Ulpianus in *l. in nummis, ff. de in litem jur.* Ergo cum tota substantia monetæ pendeat à voluntate Principis, satisfacit obligationi, qui debitam quantitatem in antiqua, vel nova moneta solvit, & per consequens in præfenti specie nihil intererat, an pensio solveretur

in moneta pretiosiori, an in pejori, cum semper eadem quantitas solvenda esset, sive in una, sive in alia specie. Accedit; nam casu, quo dubitatur de solutione facienda ad monetam antiquam currentem tempore impositionis census; vel ad novam, & usualem, discrimen est constituendum inter eam casum, in quo convenit inter contrahentes, ut certa moneta solvatur, aut nihil convenit inter ipsos, Primo casu necessario antiqua moneta solvenda est, *l. credito-rem 99. ff. de solut.* Si nihil convenit inter eos, usualis moneta debetur, *Clement. 2. de decimis.* Igitur non rectè in hoc casu docet Gregorius, pensionem solvendam esse juxta antiquam monetam; aut si ea in usu non sit, juxta novam æstimationem antiquæ esse faciendam.

Quæ difficultate non obstante vera est præfens assertio, pro cujus expositione, præmissis, quæ de monetæ origine, & substantialibus requisitis adduxi in *cap. quanto, de jurejur.* sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, & quidem facilis, cum in ipsa obligatione pactum adjectum fuit, ut in eadem specie, ponè argento, vel auro, solutio fieret; tunc enim quia ex conventionione contractus legem accipiunt, *l. 1. §. si convenit, ff. de positi, pacto standum* erit, ut nemine refragante docuerunt in quocunque genere debiti, videlicet sive ex mutuo, promissione, vel venditione, Carranza *de monetis 4. p. pag. 244.* Molina *de iustitia disputi 312. vers. Prima.* Castillo *lib. 4. controvers. cap. 10. à num. 45.* Larrea *decis. Granat. 22. per tot.* Amaya *ubi supra, n. 33.* Guzman *de evict. q. 22. num. 22.* Siguenza *de clausul. lib. 1. cap. 11. num. 3.* Tondut. *qq. civil. cap. 1. ubi iustitiam hujus pacti latè defendit.* Vela *dissert. 28. ad finem.* Secundus casus evenit cum absolute debitum contrahitur in argento, vel auro, & queritur, utrum possit solvi in pecunia arosa, vel è contrario? Et dicendum est, posse solvi in aere, quod debetur in argento, si talis aequalitas sit monetæ, ut olim in Hispania erat, ut centum regales cujuscumque monetæ, n. que ex legali æstimatione, neque ex commercialis ejusdem valoris sint, *l. 6. tit. 12. lib. 5. recopil.* docuerunt Parladorius *lib. 2. ver. quotid. cap. ult. 5. p. §. 17. num. 17.* Megia in *pragmatic. taxa panis, fol. 130.* Gutierrez *lib. 2. pract. q. 179.* Morla in *empor. tit. 8. q. 13.* Valenzuela *tom. 1. q. 30. per tot.* Amaya *ubi supra, num. 10.* Larrea *decis. 21. num. 56.* Noguero. *alleg. 2. num. 42.* nisi ex tali solutione arca monetæ pro argentea præjudicium sequatur creditori, ob ejus transportationem, vel similem causam: unde juxta eorum sententiam defendi potest, census impositos in moneta argentea, eo tempore, quo ulam æstimationem non habebat, vulgò *no re- nia premio*, posse hodie redimi in pecunia arosa; quia omnis solutio regulariter faciendâ est juxta monetam currentem tempore contractæ obligationis: sed eo tempore poterat creditor cogi accipere arcam monetam pro argentea, & è contra, *l. 6. tit. 21. lib. 5. recopil.* ergo cum debitor in ipsa constitutione census habuisset jus solvendi æs pro argento, non debet illud amittere ex superveniente accidenti, videlicet quod argenti æstimatio aucta sit; aliàs si omnino eogeretur argentum reddere, plus solveret, & ita contractus usurarius redderetur, ut considerat Leothardus *de usur.* Sed adhuc contrarium defendit D. Josephus de Retes *de consel. 1. num. 45.*

Ex

Ex prædicta etiam sententia deducunt Salgado in *Labyrinth. credit.* 2. p. cap. 8. per tot. Nogueroles alleg. 2. à nume 42. censum illo in tempore susceptum in argentea pecunia à possessore majoratus, qui habuerat facultatem regiam accipiendi mille ducata, non designatâ specie monetæ, rectè impositum cenferi; quia tunc æqualis valoris, ac æstimationis erant omnes monetæ: igitur potuit possessor majoratus hanc, vel illam sumere, sine ullo excessu, vel defectu facultatis. Nec casus hic decifus est in *l. 19. tit. 21. lib. 5. recopil.* quia ibi agitur de eo casu, in quo in census constitutione, aut obligatione cautum fuit ut argentum solvatur; tunc enim beneficio illius pragmaticæ solutio fieri potest in ærofa pecunia cum præmio ad decem pro centum. Ut autem cognoscamus, à quo tempore cæpit in Hispania valor argenti augeri, vulgò *tener premio*, non est sequendus D. Franc. Salgado in *Labyrinth.* 2. p. cap. 8. ubi ab anno 1612. existimat, quod ob copiam monetæ ærofæ è regnis extraneis introductæ, cæpit vilescere hæc moneta, & augeri argentea; cum Basilius Legionensis in quaestione illa perdocta *de potest. Princip. circa monetam*, sapius agat de valore aucto argenteæ monetæ: & eam publicè ediderit anno 1605. unde credo ab ipso anno, vel antecedenti valorem argenteæ monetæ excrefcere cœpisse, atque ita census postea impositus in argento, non posse solvi in moneta ærofa; cum jam diversa æstimatio esset utriusque monetæ.

6.
Prosequitur alii casu.

Huic casui consequens est alius tritus in tractatione mutationis monetæ, nempe si genus monetæ postea sit immutatum, veluti cum novi, & currentes nummi cuduntur hodie leviores, seu impuriore, ac deteriores veteribus nummis, qui debiti erant; quod frequenter accidit ob ingruentes necessitates; nam Romæ primò as erat libralis, libramque, hoc est duodecim uncias pendebat. Deinde factus est sextantarius, sive redactus ad sextantis, seu duarum unciarum pondus. Tertio factus est uncialis, unciam pendens. Deinde factus est seminuncialis, ut ex Plinio probat David Argente in *d. l. Paulus*, fol. 135. Idem contigit quoque in nummis aureis; nam ab initio ex aurilibra Romana conflati fuerunt 48. vel 50. solidi; unde in Pandectis pœna libræ aureæ, & pœna 50. solidorum, idest aureorum, eadem est. Postea sub Constantino ex auri libra cusi fuerunt centum aurei, & postea sub Valentino 72. ut probant Gibalinus de *negot. rom.* 1. lib. 2. cap. 4. arric. 8. Hothoman. *de nummaria*, p. 3. cap. 2. Budæus *lib. 3. de ass.* Quaritur ergo, an ille qui accepit centum asses librales, possit hodie exfolvere centum asses semiunciales; possitque reddere nummos veteribus debitis leviores, ac pondere diminutos. Aliud quoque exemplum erit, si nummi in ipsa materia, seu metalli puritate, vel bonitate decrementum acceperint, ut Romæ contigit, cum Livius Drusus denariis ex purissimo argento excusis admiscuit octavam partem æris, atque etiam apud Salustium urgente inopiâ, & egestate publicâ, *argentum ære solutum est*, idest nummi, qui erant argentei, postea penè facti sunt ærei, ob pecuniarum inopiam; & etiam aurei veteribus deteriores, ac impuriore conflati, non ex auro coctissimo, & obryzo. Hinc quaritur, an pro veteribus, & probis nummis purissimis, olim creditis ac debitis, dari, & solvi

possint hodie qui sunt ærofi, & deteriores? an è contrario in eunda sit ratio, vel æstimatio bonitatis intrinsecæ, quæ olim erat in nummis creditis, & debitis; & an creditori ea jactura sarciri debeat? Communis Interpretum sententia, quam sequuntur Eneas Robertus *lib. 2. ver. iudic. cap. ultim.* D. Joseph. de Retes *ubi supra, consellur.* 2. per tot. pro creditore affirmant, quia alioqui creditori fieret non levis injuria, argumento dictæ legis Paulus ff. *de solut.* Item quia aliud pro alio invito creditore non solvitur, *l. 2. ff. de rebus creditis*; & æquè bonum in substantia ipsa, & materia creditori reddi debet, *l. cum quid, ff. eodem tit.* substantia verò, & materia nummorum hodie est jaliâ deterior; quò pertinet *lex 1. ff. de contrahend. emptio.* Tandem quia intrinsecæ bonitatis imminutæ rationem esse habendam pro creditore docetur in præsentis textu, & in *cap. olim 20. supra hoc tit.* Sed contrarium, videlicet immutatâ re nummaria, vel in pondere, vel in materia, & substantia nummorum, hoc est in bonitate intrinsecæ, ut ajunt, quæ quidem vel aucta, vel diminuta sit, manente nihilominus eadem potestate, indicatur, seu valore imposito nummis, ita ut iidem cum veteribus hodierni nummi censentur, & appellentur, talis mutationis rationem non esse habendam docuerunt Marquez in *Gubernat. Christ.* 1. 2. cap. ultim. §. 2. Basilius Legion. *ubi supra*, 3. & 4. p. David Argente in *d. l. Paulus*, fol. 137. nam cives pecuniâ uti debent secundum legem, formam, & quantitatem publicè datam, ex qua ad eò pendet omnis nummorum potestas, & expositio, ut in nummis ipsa tantum corpora, seu materiam nunquam inspiciamus, sed quantitatem, idest potestatem, seu valorem impositum, atque formam, ut expressum est in *l. 1. ff. de contrah. l. si is qui nummos*, junctâ glossâ ibi, *ff. de solut.* quo sensu accipi debet *lex 3. ff. de eo quod certo loco*, dum ait: *Pecuniarum unam, & eandem potestatem ubique esse.* Adde etiam mutetur nummorum substantia, argumento legis *cum certum, ff. de auro & argenti* ubi argenti pretium ex præsentis tempore, seu ex valore currenti præstandum esse docetur. Quæ sententiâ retentâ, quam etiam tenet I. Faber in *tit. Instit. quibus mod. tol. obligatio*, non obstant fundamenta contrariæ sententiæ; nam hoc casu aliud pro alio non solvitur, siquidem mutatis nummis dumtaxat in bonitate intrinsecæ, cum maneat eadem forma, auctoritas, qualitas, indicatura, & appellatio nummi, circa dubium est, manere eandem quantitatem; unde cum debitor non fuisset corporum nummorum, sed quantitatis, liberatur solvendo eandem quantitatem in nummis intrinsecè diminutis. Nec obstat textus in *d. cap. olim*, cujus summarium vitiiosissimum est; nam in eo textu simpliciter dicitur, Papienses denarios debitos solvi debere, vel eorum pretium, & æstimationem, in moneta currenti: itaque si nummus Papiensis antiquus valeat hodie sex Lucenses, tunc pro eo Papiensi nummo sex Lucenses dandi sunt. Hoc verò non pertinet ad præsentem disputationem de mutatione bonitatis intrinsecæ, nummorum; nulla enim ibi mutatio substantiæ, & qualitatis, & bonitatis in nummis Papiensibus fuit: quare rectè in eo textu deducunt plures congesti à Barboza in *collecl.* & *rom. 6. in select.* ad illum textum Larrea decif. *Granatæ 24. num. 7.* Nogueroles alleg. 2.

num. 78. pensionem esse solvendam in moneta currenti, juxta veterem materiam, & valorem, si constat qualis fuisset: non tamen ibi docetur, pretiosiorē monetam Papientem necessario solvendam esse; sed ipsam, vel aliam ejusdem valoris, etiamsi intrinsecē vilior sit; quis enim dicit, apud Hispanos debitorem mille regalium, quos accepit *en calderilla*, ò *tarias*, quæ est pretiosior moneta, seclusā omni conventionē, non liberari solvendo eandem quantitatem in moneta vulgò *gruesca*, ò *de la fabrica de molinos*. Unde Innocentius *in d. cap. olim*, tantum jubet, ut eadem quantitas pensionis præstetur; nihil tamen refert, quod in hac, vel illa moneta solvatur; dum tamen ad valorem antiquæ coæquetur.

7.
Exponitur
præfens
Textus.

Nec etiam favet contrariæ sententiæ præfens textus, cujus summario non satis fidelitatur Doctores; pro cuius interpretatione jam notavit David Argentæ ubi *suprà*, conferendum esse hunc textum cum capite *querelam; hoc tit. in 2. collect. supra num. 1.* transcripto, qui eandem hypothesein continet, licet diversum auctorem præ se ferat. In eo quæstio est de certa pensione, quæ præstari debebat in moneta currenti, & communi, nempe Turonensi; quæ quidem Parisiensi erat minor, seu debilior, tam in materia, & pondere, quam indicatura, & valore impositio; tam in qualitate extrinsecâ, quam intrinsecâ. Canonici autem volebant sibi pensionem solvi in moneta Parisiensi, quæ tunc erat melior in bonitate intrinsecâ, & extrinsecâ; unde Urbanus III. decernit, injustam esse Canonico-rum petitionem: quod etiam non expresso genere monetæ, eisdem verbis decernit Gregorius in præfenti; videlicet ut pensio solvatur juxta priorem pecuniam; & si ea in usu non sit, in moneta currenti, facta æstimatione prioris quoad quantitatem; non quod valorem intrinsecum. Manet ergo; nihil interesse, an quantitas debita solvatur in pretiosiori, an viliori moneta, cum eadem quantitas reddatur, quæ erat tempore contractus; juxta legem *Paulus ff. de solut. & decisionem 592.* Rotæ apud Pennam; nam in nummis corpora non inspicimus; sed quantitatem; & cum de æstimatione rei in conventio-

nem deducta agitur, perpetuò attenditur tempus contractus; *l. Rustilia, ff. de contrab. emp.* sicut in evictione tempus evictionis; *l. bonitatis, ff. de evict.* Sensus ergo Gregorii IX. in præfenti est, ut eadem quantitas pensionis præstetur nunc, ac à principio constituta fuit; nihil tamen refert, quod in hac, vel illa moneta solvatur; dum tamen ad valorem antiquæ coæquetur.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam ut jam sæpius dixi, in præfenti non agebatur de bonitate, aut deterioratione monetæ; sed tantum de majori pensione; quam Canonici exigere volebant; & Gregorius tantum docet, ut eadem pensio solvatur ac instituta fuit à principio; nec augeatur, aut minuat ex mutatione monetæ; non tamen, ut idem nummi specificè solvantur, sed eadem quantitas in his, vel illis nummis. Prosequitur varios casus usu frequentes resolvens Tondutus *p. 1. resolut. civil. ex quæst. 1. usque ad 20.*

Sed superiori assertioni obstat textus in *Clement. 2. de decimis*, ubi Clemens V. statuit, quod cum alicui beneficiorum decima ad tempus conceditur, quod solvatur juxta consuetam taxationem valoris fructuum beneficii, & in moneta currenti; & usuali: ex quo textu expressè deducitur, in solutione pensionis attendi valorem monetæ currentis tempore solutionis; non verò constitutionis. Igitur non rectè in præfenti Gregorius docet, pensionem solvendam esse ad antiquam monetam. Cui difficultati respondendum est; in eo textu pensionem solvi juxta monetam currentem, quia concessio illa non habet respectum, aut relationem ad traditionem aliquam pecuniæ, seu aliquem contractum onerosum, cujus ratione creditor petere possit juxta antiquam pecuniam; unde eâ ratione cessante, necessario solutio fieri debet juxta monetam currentem; *cap. 2. de maledic.* Accedit & alia ratio; nam pecunia est quæ res æstimat; *l. ff. ita 42. ff. de fidejuss.* sed decima in eo textu sumitur ab æstimatione fructuum per singulos annos, quæ necessario fit præfenti, & nova pecunia; igitur solvenda est illa ipsa nova, & currens pecunia; quæ fructibus designat valorem.

8.
Dissolvi-
tur dubi-
tandi ratio.

9.
Exponitur
Clement. 2.
de decimis.

CAPUT XXVII.

(a) Idem.

Auctoritate præfentium inhibemus, ne quis pro eo quod (b) in Oratoriis; quæ in (c) grangiis vestris habetis; interdum aliqui vestrum celebrant; procuraciones, quæ ratione visitationis debentur, à vobis exigere, vel extorquere præsumat.

NOTÆ:

1. (a) *Idem.* Gregorius videlicet IX. non tamen constat cum quibus monachis loquatur, qui oratoria in grangiis habebant.

(b) *Oratoriis.* De oratoriis monachorum agemus in *cap. patentibus, de privi.*

2. (c) *Grangis.* Grangia dicitur prædium, villa, & horreum. Hinc grangiarus pro villico. *Cæfarius lib. 6. miracul. cap. 23.* ibi: *Idem apud nos*

ejusdem prælo loci grangiarus recitavit. Illustrat Johannes Vossius de *vitiis serm. lib. 2. cap. 8.*

COMMENTARIUM.

IN præfenti statuit Gregorius propter Oratoria privata à monachis in grangiis constructa, non deberi Episcopo visitanti procuracionem. Consonant textus in *cap. 1. de capel. monach.* ubi Honorius III. Abbati, & conventui Aquitaniensi

